GVIL. AMESII

Disceptatio Scholastica

DE

CIRCVLO PONTIFICIO,

Et eorum omnium ἀκαταληψίᾳ,
qui in Scripturis non acquiescunt.

Item ejusdem

Disquisitiones Theologicæ,

DE

Lumine Naturæ & Gratiæ.
Præparatione peccatoris ad Conversionem.
Adoratione Christi Mediatoris.

Ac denique

ORATIONES duæ, antehac non editæ.

Quibus subjecta est
D. ESTELI Oratio, de Certitudine salutis.

LVGDVNI BATAVORVM.
Ex officina JVSTI LIVII,
cIↃ IↃc XXXIII.

LECTORI.

DIsceptationem sequentem expressimus ex editione Francof. anno 1610. demptis paucis quibusdam ex præfatione, quæ cum alio quodam tractatu cui subjuncta erant, individuo nexu cohærebant.

PREFATIO.

EST genus quoddam hominum qui non tam animo aut verbis, quam ipso instituto & præscripto ductorum, pleraque religionis dogmata aversantur & fugiunt potius quam damnant. Illos intelligo, qui Pontificiorum laqueis irretiti, vitam vivunt ἀνεξέταστον, qui Scripturas sacras parvi faciunt, si non affigatur aut præfigatur potius Ecclesiæ privilegium ac diploma: Ecclesiæ vero dicta suspiciunt ac venerantur, quamvis omni Scripturâ destituta.

His ego paravi medelæ vice Disceptationem istam sequentem, quam ut attentè perlegere vellent, non rogo tantum, sed oro etiam & obtestor per illas animas quas in perpetuis, sat scio,

*tenebris minimè vellent detineri. Aut fallor ego valde, aut ex hac scintilla, verum lucis fontem agnoscent, & Doctorum suorum egregiam perspicient impostu*ram, *qui sub titulis illis* piè credendi, implicitæ fidei &c. *ad infidelitatem ipsam latissimam stravere viam. Est enim* Φανερὰ ἔκπτωσις πίστεως, καὶ ὑπερηφανίας, κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τὶ τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων *est sententia Basilii magni, quæ utinam illis semper maneat altâ mente reposita: tum abhorrerent eorum animi à seductoribus illis, qui nullum esse* ἁρπαγμὸν *aut rapinam putant, miserum homuncionem in Altissimi Throno collocare.*

Nam ad hanc summam redire videbit quivis oculatus, pleraſque omnes controversias, quas cum Papistis habe-

mus

mus & alis etiam, cui debentut primæ, Deone, an homini : *in isthac vero quam jam suscepi disquirendam, est ipse status quæstionis. Sic enim Pontificii*, ab Augustino & Thoma oritur veritas omnis Theologica, & eos semper consulit Ecclesia in definiendis rebus fidei, *sunt ipsissima verba Iohannis Matthæi de Rispolis, lib. de prædest. pag.* 122. *quibus* originis dignitatem, virtutem normæ, & definiendi authoritatem, *hominibus tribuit ille, Papistarum vulgo, multo modestior, & proximius ad veritatem accedens. Nos vero hæc omnia Scripturis solis & Christo deberi clamamus. Nec clamamus tantum, sed certissimis argumentis probatum reddimus.*

Hanc Spartam nactus olim sic ornavit primò Thesibus, & Apologiâ,

giâ, *deinde munibit, ac asseruit, contra omnes* Pontificios Elymas, *non Angliæ tantum, sed seculi sui decus,* Rainoldus *noster, ut aliquid dici amplius non sit opus, quia contradictum omnino nihil. Illud enim Gretseri aliquid nihil est. Sed quoniam Scholastica quædam Lemmata ab illo cæterisque nostris contemni potius quam omitti videbam; atque adeo in iis jam præcipuè, Sophistas novissimos placere sibi: ὑστερημάτων istorum spicilegium feci. Deesse enim nolui brachia licet minus fortia, quæ tamen utcunque satis essent Levandæ novæ nuptæ supra limen illud (pro more veteri) si qua forte domum Dei sui studiose quæsiverit.*

G. A.

FIDES

FIDES VERA ET CONSCIENTIA BONA

Non niſi in Scripturis acquieſcunt.

QUamvis nihil unquam ex Pauli ore vel calamo exivit ſacro, quod non & gloriæ divinæ & ſalutis humanæ ardentem ſpiraba zelum, & authorem indicat ad tertium uſque cœlum ſubvectum: haud quidquam tamen de cœlo dictum ab illo credo, quod patris & paſtoris ſollicitum amorem autoritatemve cæleſtem ſapit magis, illâ ſæpe inculcatâ blandeque ſonante ſententia, ὦ τιμόθεε τὴν παραθήκην φύλαξον. *O Timothee ſerva depoſitum.* Sacrum indubie fuit depoſitum & κειμήλιον

 magnum,

magnum, quod tali affectu commendatum, & tanto studio ab omnibus custoditum voluit tam peritus rerum æstimator. Nec tamen aliud invenies, quam *fidem veram & conscientiam bonam.* Si enim Paulum ipsum interroges, quamnam velit παραθήκην; habes aperte respondentem, ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι τέκνον Τιμόθεε, ἵνα στρατεύῃ τὴν καλὴν στρατείαν, ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν. *Servans fidem & conscientiam bonam.*

Nonne igitur operæ pretium erit maximum, capsas ipsas & cistellas cognoscere, in quibus recondi solent, undeque peti debent, quibusque servari possint hi tanti thesauri? Atqui hoc ipsum est quod agimus: cum depositum hoc, non nisi sacris chartis complicatum: dum κειμήλιον istud, non nisi libris biblicis inclusum aut involutum: dum *fidem veram & conscientiam bonam, non nisi in Scripturis acquiescere* contendimus.

Fidem dico, non scientiam, non opinionem,

nionem, quas inter consistit fides utrinque reducta. Opinio non est, vulgari sensu, quia certa, & ut Damascenus habet, ἀδίστακτος καὶ ἀδιάκριτος. Non scientia, quia non ex principiorum & causarum evidentiâ certa, sed ex authoritate & ἀψευδίᾳ dicentis. Ab utraque discriminatur per Clementem Alexandrinum, κυριώτερον τι τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις, ἐστιν αὐτῆς κριτήριον. ὑποκείνεται δὲ τὴν πίστιν ἡ εἰκασία ἀσθενὴς ἔσα ὑπόληψις, καθάπερ ὁ κύλος τὸν φίλον καὶ λυκὸς κύνα.

Fidem intelligo divinam, Dei nixam authoritate, cum Damasceno etiam sic definiente, ἡ πίστις ἐστιν ἀδίστακτος ἐλπὶς τῶν ὑπὸ θεῷ ἡμῖν ἐπηγγελμένων: Dei spectat promissa. Nec illam tamen qua nos coram Deo sistit justos tantum; sed qua assensum præbet cuilibet veritati ut divinitus revelatæ, atque adeo moderatrix, rectrix & directrix existit vitæ: nam fides una est, ut

ait Clemens, θεοσεβείας συγκατάθεσις, ἐλπιζομένων, ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος ἀ βλεπομένων.

Haud frustra tamen adjicere mihi videor *conscientiam bonam*, ut fidei effectum in intellectu practico, dum ligat & instigat, accusat & excusat justè: cujus quies si bona sit, est à fide; utriusque si veræ & bonæ, non nisi à Scripturis, id est, doctrina in sacro codice tradita & comprehensa: adeo ut non Theologia tantum, sed & Theurgia (ut cum Budæo loquar) à Scripturis jam pendeat tota. *Iam* dico ut cancellos quæstionis designem; non scilicet agi nunc de Mosis atavo, nec de iis qui Prophetis & Apostolis fuerunt coætanei (non enim necesse est, nec omnino eadem ratio) sed de nobis ipsis, id est, omnibus Apostolorum posteris discipulis posthumis.

Summa est: *Verbum scriptum est objectum fidei adaquatum primum fundamentum, à quo capit initium, & ultimum illud in quod resolvitur.*

Hæc omnia pene fateri solent ipsi pontificii; sed fateri tantum, non assentiri: quoniam ut verbis aliquando concæ-

concedant, vis cogit veritatis ; ut non assentiri eos credam, dogmata faciunt pugnantia, quæ frontibus adversis adstruere non cessant. Ut igitur causæ hujus principia distincta, & naturam veram omnibus ob oculos ponam, rem ipsam penitus paulo & altius scrutari juvat, more & verbis Scholasticis.

Objectum cujusvis facultatis seu habitus intellectus illud esse constat, quod habitus respicit, vel ad quod ex natura sua ordine quodam dirigitur. Hoc vero non simplex quiddam est, nec omnibus obvium, sed quatuor sub se continet objecti nomine denotata. Primum rationem formalem sive causam, qua nititur habitus velut fundamento primario, & in quam tum ipse habitus, tum etiam assensus ab eo elicitus ultimo resolvitur : hoc dicitur *objectum formale quo.* Secundum locum obtinet illud, de quo habitus aliquis primario elicit assensum: hoc nominatur *objectum formale quod.* Tertium autem quod eodem nomine insigniri nonnunquam solet, est id, de quo habitus secundario elicit assensum, eo quod ejus cognitio aliquo modo conducat

ad cognitionem formalis & primarii objecti: dicitur *objectum materiale quod.* Quartum est ipse assensus significatus per enunciationem vel propositionem, cui habitus assentitur: hoc proprie dicitur *objectum quod complexum.*

De primo & secundo nulla lis movetur, ὁμολογουμένως enim hoc docent utriusque partis qui sunt cordati; primam veritatem esse fidei objectum formale quo; & Deum ipsum sive absolutè, sive in Christo, esse ejusdem objectum formale quod.

De tertio & quarto movetur quæstio; videlicet quid sit illud cui præcipue acceptum est referendum quicquid nobis ingeneratur fidei, & quodnam sit *primum* (ut loquuntur) *credibile* in quod ultimo resolvi possit; quænam basis cui innititur, qua fulcitur & sustinetur fides.

Hic vero qui inter adversarios plus pollent calliditate atque versutia, duo monent diligenter distinguenda; alterum quo de causa ipsius habitus & assensus in sese considerati quæritur, & in quem firmitas & certitudo ipsius habitus, & quicquid perfectionis habet, tan-

tanquam in cauſam refertur; alterum quo non de cauſa certitudinis & perfectionis habitus, ſed de cauſa propter quam quis animum induxerit velle credere, quæritur, cum alioquin ipſa ratione ſeu fundamento habitus ſecundum ſe, non impelleretur ad id neceſſario. Primas illas partes, pro illa qua ſunt benignitate, revelationi divinæ concedunt: ſecundas autem Eccleſiæ vendicant, & ſplendidis ejuſdem notis. Iſta fidelia quaſi dealbare ſatagunt noviſſimi Papiſtæ ea, quæ à veterioribus, ſive veteratoribus aliis, ſine parabolis tradita fuerunt de *regula Leſbia*, *naſo cereo*, & *Euangelio nigro*, *Theologia atramentaria*, &c.

Sed in utroque quam aſtutè ſub veritatis ſpecie ipſam impugnant veritatem, produnt ipſi in explicatione ſententiæ, & qui ſint oſtendunt. Nam primo revelationem definiunt eam eſſe objectum fidei, quæ traditur per Eccleſiæ principes & univerſales paſtores, utpote qui cali ſunt & quaſi ſoles in hoc ſpirituali Eccleſiæ mundo; adeo ut Gregorius ille de Valentia (in Tom. 4. de fide) non vereatur affirmare Zachariam non pec-

peccasse infidelitatis, sed imprudentiæ forte peccatum, dubitando de angeli verbis; quia vox angeli fuit non Ecclesiæ, cum tamen angelus ipse disertè affirmet, mutum evasisse Zachariam, ἀνθ' ὧν σὺκ ἐπίστευσε τοῖς λόγοις αὐτοῦ: quia non credidit.

Quod vero ad propositionem hujus revelationis, hic Ecclesiæ, id est, Romano pontifici, vel soli, vel cum concilio, magisterium tribuunt summum, adeo ut solennis sit apud eos formula, *Judicet magister fidei.* Cumel.

Nos vero è contra, etsi Ecclesiæ veræ ministerium & testimonium magni facimus; tamen Scripturas (iis qui justis utuntur mediis) propria luce lucere credimus, & accedente interno Spiritus lumine, iis solis propter revelationem divinam, non propter Ecclesiæ testimonium, fidem veram acquiescere dicimus.

Hoc quam verum sit, ut apertissimum reddam; affirmare non reformido, primum principium, primum (inquam) natura syntheticum, & ultimum analyticum, cui vera fides adhibetur, primum dico complexum, illud esse

esse quod 2. Pet. 1. 20. habetur, τῦτο πρῶτον γινώσκοντες, hoc primum est, quod fide percipi potest & debet (loquitur enim de cognitione fidei) *nullam Scripturam sacram esse propriæ resolutionis: non enim libitu hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu sancto loquuti sunt sancti Dei viri.* Ubi per ætiologiam, & per oppositionem terminorum, satis apparet quis sensus sit, videlicet primum cognoscendum aut fide credendum esse, Scripturas sacras esse revelationis & veritatis divinæ.

Hoc esse primum & non Ecclesiæ authoritatem, sic demonstratur; in theorematis illud primum est (si fides logicæ) quod per se potest intelligi sine cæterorum ope, & cæteris lucem affert: in fide autem hoc primum & per se intelligi, testimonium habemus satis luculentum Ps. 119. 152. *jampridem novi ex testimoniis tuis, te in secula fundasse ea.* Novi (inquit) testimonia esse in secula, id est, Scripturam esse divinam; unde vero hæc notitia? nunquid ab Ecclesia קדם ידעתי מעדיך *jam pridem novi ex testimoniis ipsis*, id est, ipsa Scriptura,

Scriptura, quæ est ἀυτόπιστος καὶ ἀναπόδεικτος.

Quod vero sit basis aliorum omnium dogmatum, primò Salvator ipse aperte confirmat Joh. 5.36. 39. ubi disertis verbis affirmat Scripturarum testimonium (quamvis non tum juste propositum nec recte explicatum ab Ecclesia) de se, majus esse quam ipsius Iohannis, atque adeo quam omnium hominum: Iohannes enim μειζότερος μαρτύρ. si vero majus aliquod in terris, quam Scripturarũ (& ab iis minime pendens, ut minor solet à majore) dixisset proculdubio Christus in hac disceptatione, ubi quærebatur de maximo; hujus autem testis maximi authoritas omnis nititur Scripturis. Matt. 11.10.

Secundo, ratio suadet idem: judicium enim omne quod certum est & firmum de re quacunq; maxime datur ex causa sua, ac proinde ordinem causarum sequitur judiciorum ordo: sicut enim causa prima est secundæ causa, ita per primam judicatur de secunda, non contra. Thom. 2.2.9. sed primas deberi Scripturæ, ante probavi. Nec ipsi sane hoc solent dissimulare; apud suos enim

enim cum Ecclesię authoritatẽ probare velint demonstrative, non aliis utuntur mediis, quam ex Scriptura petitis; nec alia sane comminisci possunt. Cum traditionibus suis non scriptis authoritatem conciliare nituntur, eas etiam ex verbo scripto, deductione mediata saltem & remota videri vellent eruere. Cum nostris etiam agentes, nihil aliud afferre possunt, quam Scripturarum quasdam sententiolas male detortas, puta *super hanc petram, columnam firmamentum*, &c. neque hæc proferunt ad nostros ex propriis principiis convincendos, sed ut ipsas tabulas vel instrumenta, quibus Ecclesiæ hæc olim concessa & tradita fuit Authoritas.

Hoc rectè observavit Philippus Marnixius nobilis quidam & ingeniosus Gallus, in familiari quodam colloquio, quod cum Cotono Iesuitâ dicitur habuisse. Proposita enim quæstione de Ecclesiæ authoritate, majorne ea sit quam Scripturæ, & optione Cotono data, ille affirmativam partem elegit. Ad eam vero demonstrandam vocatus, fugit statim ad Scripturas. Tum Marnixius ad spectatores conversus, unum (inquit) quæram ego

priuſ-

priusquam respondeam, utra major sit authoritas, probans, an quæ probatur? imo vero probans jure major habetur inquiunt: major igitur (ait ille) erit Scripturæ, quam Ecclesiæ authoritas, hanc enim per illam solam conatur probare Cotonus. Non ingenioſe magis quam solide adversarii telum in proprium retorquebat jugulum. Nec sane mirum hoc, vel difficile factu, cum secum pugnant ipsi in tota disceptatione, tanquam in circulo, vel labyrintho, adversa vestigia sequentes.

Hoc ut clarius adhuc sit, interrogare libet papistarum aliquem de fidei quam habet ratione.

Tu credis Deum triunum, & recte; sed quare hoc tu credis? causam enim oportet esse aliquam: respondebis sine hæsitatione, sic te credere, quia ita se Deus in Scriptura revelavit. Laudo responsum: nam Scriptura est βεβαιότατος λόγος 2 Pet. 1. 19. Sed hæc Scriptura unde hoc habet, ut ei assensum in omni re præbere debeas? Ex sene? Id vero pernegat. Unde igitur? ex authoritate & judicio

cio Ecclesiæ: nam in esse cognito necessario dependet authoritas Scripturarum ex authoritate Ecclesiæ. Sed cur tanti facis authoritatem istam? Quæ est columna & firmamentum veritatis. Et quare columna? Quia Spiritus Sanctus ei perpetuo assistit. Et quare hoc? Quia ei promissum est. Et unde hoc habes? Ex promissione Christi, Spiritus vos ducet, &c. Et ubi hoc habetur? In Scriptura. Sed rursus cur scriptura hæc creditur esse divina? Quia Ecclesia dicit. Et sic per reliqua in infinitum. Aut igitur in scriptura sola fidem nostram terminari fatendum est; aut dari processum in infinitum, in quo fides cum nunquam terminatur, tandem evanescat.

Ex isthoc circulo in semet perpetuo redeunte, quomode se expediant, non ostenderunt ei qui maximè debuerunt, primi scilicet authores istius humanæ fidei. Sed tantum aliquando *inventus Chrysippe tui finitor acervi.*

Gregorius enim de Valentia (in Thom.) videns quantæ sit difficultatis ex anfractibus istis exitum aliquem invenire; silum quoddam Ariadnes instar in manus tradidit imperitorum.

præivit

Præivit enim iis formulam quandam respondendi: sed tramite magis tortuoso ad idem redit compitum.

Si quis rogetur (inquit) quare credat Deum esse trinum & unum: distinguat, utrum sermo sit de causa ipsius fidei secundum se, cur videlicet firmiter & infallibiter id credat; vel de causa ob quam acceptaverit eam fidem: si primum, respondeat, quia Deus revelavit. Si rursus interrogetur, unde cognoscat Deum revelasse: respondeat, se quidem non nosse id clare: credere tamen fide infallibili ob Ecclesiæ propositionem, tanquam ob conditionem ad id credendum requisitam: si rursus, unde cognoscat propositionem Ecclesiæ esse infallibilem, similiter dicat, se clare non nosse, credere tamen fide certa, ob revelationem Scripturæ, testimonium perhibentis: cui revelationi non credit ob aliam, sed ob seipsam, quamvis ad hoc ipsum etiam ipsa Ecclesiæ propositione, ut conditione, requisita. Hactenus Gregorius, ducens in errorem variarum ambage viarum.

Qui ut circulum istum perrumpere possit, dum tam sedulo laborat, & nisu

tam

tam vano inexplicabilem esse confirmat. In initio enim se credere dicit Scripturæ revelationi *ob Ecclesiæ revelationem*; deinde vero se revelationi Scripturarum credere *non ob aliam, sed ob seipsam:* in quibus verbis tam salebrosum & lubricum ostendit hunc locum esse, ut ubi consistat & pedem figat incertus plane sit. Nunc in socios irruit, nunc in sese, & nobis etiam suffragatur in istis non multis vocibus. Quod vero de conditione subjungit in fine, id facit ut per posticam & quasi ex postliminio, inducat Ecclesiæ suæ prærogativam, quam apertis non audebat designare verbis ut prius, ne continuatio circuli manifesta nimis esset.

Sed laboranti Gregorio succurrit tãquam θεὸς ἀπὸ μηχανῆς Becanus (Enchir de circ.) qui in quęstione de causâ fidei secundum se (nasutior videri cupiens, vel saltem alieno periculo cautior) sistendum esse gradum dicit in primo responso, in authoritate scilicet Dei revelantis: se enim *ultra processurũ* negat. In altera vero de causa acceptationis fidei, resolvit omnia in motivum illud quo inductus est ut vellet credere.

Sed in priore mẽbro, licet pertinaci-

ter

ter neget se ultra processurum, trahendus tamen est, quoniam duci non vult, aut saltem calcaribus urgendus instat equi residis. Adhuc enim hęrebit scrupulus & justa causa quærẽdi de specie revelationis, de causa fidei continente, de primo credendo, à quo cætera necessario pendent. Nec est quod quærentem ista ad alterum membrum releget; nam in eo nil nisi verba dat: non enim quæritur de suasionibus externis ad fidem historicam & acquisitam impellentibus, quæ variæ sunt; sed de principio fidei infusæ, *cujus assensus non est totus à voluntate motivis impulsa; omnes enim boni minus assentiuntur quam vellent, orantque cum Apostolis, Domine adauge nobis fidem*, ut recte observat Scotus. Dicat igitur aperte sine omni circuitione, quodnam sit primum principium complexum, cui fidei infusve præbemus assensum: num revelatio quædam vaga, an signata? Non vaga, nam τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι, id est, firmi fundatique sumus; vagam autem habuerunt Philosophi omnes, etiam ipsi Sceptici. Signatam vero Scripturis natura priorem, qui probatam dabit, magnum quiddã faciet.

Becani

Becani igitur filum malum quo linguam ſuam prudenter ſufflaminavit (ut cum Seneca loquar) non magis ad circulum, quam araneoſum illud Gregorii.

Sed deficientibus iſtis ferunt opem populares: Tannerus primo, deinde Gretſerus non obſcuri nominis Jeſuitæ. Iſti vero (cum nec fugere poſſent, nec vellent ἡσυχάζειν cum Gregorio & Becano) circulum non negant, ſed defendere conantur.

Affirmant enim non omnem circulum eſſe vitioſum & improbandum, ſed tum demum, quando conſequens ex antecedente illatum, nulla alia præterquam antecedentis notitia fultum & probatum, mox iterum ad ſui antecedentis probationem aſſumitur: ſecus vero eſſe, quando conſequens quodam diverſo medio innoteſcit, atque ſic demum ad ſui antecedentis probationem aſſumitur. Hoc vero in propoſito accidere dicunt: quando enim ex infallibili Eccleſiæ propoſitione, perſuadetur alicui totius Scripturæ fides, jam illam Eccleſiæ propoſitionem qua talis, non credi ajunt ex ipſius Scripturæ autho-

authoritate, sed ex communibus Ecclesiæ motivis. Similiter quando ex Scriptura suadetur Ecclesiæ authoritas, jam non spectatur Scriptura, prout præcise ex Ecclesię authoritate & propositione discitur, sed ut ex communibus fidei motivis. Hæc Jesuitę: quos aliquid dixisse fateor, sed nihil ad circulum: adhuc enim cum Perseo clamare potest crediturus, depinge ubi sistam.

Fides enim hæc quæ ex mediis illis, vel (ut appellare placet) motivis oritur, certa an incerta sit rogo. Si non sit certa, tum frustra est omnino, nam certi aliquid quaritur: sin vero certa, tum *decumanum illud Papistarum principium corruit, quo nulla media sufficere dicunt ad supernaturalem fidem ingenerandum, nisi accedat infallibilis testificatio Ecclesiæ.* Sunt ipsa verba Gretseri, 1. def. Bell. tractat de agnoscendo canone: & affirmanti Tannero *impossibile esse sine testificatione Ecclesiæ credere supernaturaliter ex ipsa Scriptura* (multo igitur minus ex aliis mediis) *Deum esse unum*, suffragatur Gretserus, hæc verba nihil à veritate alienum complecti dicens append. 1. ad lib. 1.

Certe dum ista meditor, non possum non recordari cujusdam, ab Hosio quen-

dam magnopere dilaudati, qui à Theologo rogatus quid crederet, respondit, articulos fidei; percontanti rursus ecquid amplius, quod Ecclesia, inquit: sed quid credit Ecclesia? Quod ego. Has fabulas intellige cum vetat Apostolus attendere μύθοις ἀπεράντοις.

Se da nobis vicissim percontrari solent, quænam habemus κριτήρια, quibus aut ipsam Scripturam esse veram, aut verum ejus sensum dignoscere possimus à falso: si in Ecclesiæ judicio acquiescere nolimus.

Respondemùs, multa quidem nobis suppetere media quæ ad veritatem in istis haud parùm conferunt. Consensum fidelium ut plebiscitum quoddam admittimus, conciliorum veterum decreta ut senatus consulta veneramur, patrum interpretationes ut prætorum edicta suspicimus, (licet hæc omnia cum grano salis sint accipienda) pie doctorum scripta etiam ut responsa prudentum gratis animis sequimur: sed in omnibus istis non habet columba nostra (fidem intelligo) quietis locum plantæ pedis sui: revertitur igitur ad

Deum in Scripturarum arcam, quia errorum aquæ sunt in superficie totius hujus terræ.

In Scriptura sola, insita majestate fulgenti, & propria luce lucente, ducti Spiritu Dei eandem nobis obsignante, pia securitate quiescimus. Nam τὰς γραφὰς αἷς πεπιστεύκαμεν κυρίας ἔσας ἐξ αὐθεντείας παντοκρατορικῆς ἀποδείξαντες, περιεῖναι δὲ αὐτῶν ἑρμῶν δυνάμεθα ἀπίστοις ἐντυχεῖν ταῖς αἱρέσεσιν ἕνα δεικνύναι θεόν. Sunt verba Clementis tr. 4. vel potius Ecclesiæ primitivæ, *quæ infidelibus ipsis Scripturas ex sese, cætera vero omnia solebat ex Scripturis demonstrare.*

Hic vero insanos clamores tollunt de Spiritu privato, incerto & inefficaci: cum tamen Spiritus testimonium, nos non de literis aut vocibus singulis nos instituere dicimus, nec id ad alios percellendos, vel alliciendos, aut convincendos valere docemus, aut adhibere solemus (nam id genus alia quam plurima solent à nostris afferri) sed ad obsignandam veritatem salvificam arrhabonis instar, in propriis cordibus, quis

quia vera est & συνεχὴς hujus assensionis causa.

Nec aliud sane dicimus, quam quod Iohannes 1. 5. 6. *Spiritus est qui testatur quod spiritus sit veritas*: ubi frequenti in Scripturis metonymia Spiritum vocat doctrinam à Spiritu traditam. Non aliud quam quod Paulus, 1. Cor. 2. 12. *accepimus Spiritum Dei, ut sciamus quæ nobis à Deo data sunt.* Non aliud quam quod Aquinas ipse, 2. 2. q. 6. a. 1. ubi multas externas causas hujus assensus ponit, nullam vero sufficientem agnoscit sine supernaturali principio interius movente, & elevante ad assentiendum iis quæ sunt supra naturam. Non aliud denique quam quod Scotus concludens fidem infusam requiri præter acquisitam, ad perfectiorem gradum & certitudinem majorem.

Hoc enim tantum dicimus, veritatem illam, quam legendo, & audiendo, jam ante aliqua ex parte cognovimus, multo adhuc penitius & secretiore quadam ratione à Spiritu sancto persuaderi.

Instant autem porro & nobis objiciunt circulum, quod Scripturam

Deum in Scripturarum arcam, quia errorum aquæ sunt in superficie totius hujus terræ.

In Scriptura sola, insita majestate fulgent, & propria luce lucente, ducti Spiritu Dei eandem nobis obsignante, pia securitate quiescimus. Nam τὰς γραφὰς ἃς πεπιστεύκαμεν κυρίας ὄσας ἐξ αὐθεντίους παντοκρατορικῆς ἀποδείξαντες, περιεῖναι δὲ αὐτῶν ἑρμῶ δυνάμεθα ἀπίστοις ἐντυχεῖν τοῖς αἱρέσεσιν ἕνα δεικνύναι θεόν. Sunt verba Clementis tr. 4. vel potius Ecclesiæ primitivæ, *quæ infidelibus ipsis Scripturas ex sese, cætera vero omnia solebat ex Scripturis demonstrare.*

Hic vero insanos clamores tollunt de Spiritu privato, incerto & inefficaci: cum tamen Spiritus testimonium, nos non de literis aut vocibus singulis nos instituere dicimus, nec id ad alios percellendos, vel alliciendos, aut convincendos valere docemus, aut adhibere solemus (nam id genus alia quam plurima solent à nostris afferri) sed ad obsignandam veritatem salvificam arrhabonis instar, in propriis cordibus, quia

quia vera est & συνεχὴς hujus assensionis causa.

Nec aliud sane dicimus, quam quod Iohannes 1. 5. 6. *Spiritus est qui testatur quod spiritus sit veritas*: ubi frequenti in Scripturis metonymia Spiritum vocat doctrinam à Spiritu traditam. Non aliud quam quod Paulus, 1. Cor. 2. 12. *accepimus Spiritum Dei, ut sciamus quæ nobis à Deo data sunt.* Non aliud quam quod Aquinas ipse, 2. 2. q. 6. a. 1. ubi multas externas causas hujus assensus ponit, nullam vero sufficientem agnoscit sine supernaturali principio interius movente, & elevante ad assentiendum iis quæ sunt supra naturam. Non aliud denique quam quod Scotus concludens fidem infusam requiri præter acquisitam, ad perfectiorem gradum & certitudinem majorem.

Hoc enim tantum dicimus, veritatem illam, quam legendo, & audiendo, jam ante aliqua ex parte cognovimus, multo adhuc penitius & secretiore quadam ratione à Spiritu sancto persuaderi.

Instant autem porro & nobis objiciunt circulum, quod Scripturam

astruimus per Spiritum, & Spiritum per Scripturam. Sic Gretserus in tractatu de quæstione *unde scis* : sic etiam Becanus in Enchiridio. Sed facilis vindicatio : non enim aliis probamus Scripturas per Spiritum nostrum, furor hoc esset & amentia summa : nec spiritum nostrum internùm per Scripturas, sed quemadmodum lux per se spectabilis est, & principia prima ἀναπόδεικτα per sese ex evidentia sua nota : sic Scripturas ipsas per lucem quam habent insitam & innatam, semet præbere dicimus aspiciendas. Οὕτως ἂν ἡμεῖς ἀπ' αὐτῶν τε καὶ αὐτῶν τ γραφῶν τελείως ἀποδεικνύντες ἐκ πίστεως πειζόμεθα ἀποδείξεως, καὶ τὰς ἀποδείξεις παρ' αὐτῆς ἀρχῆς τε καὶ τῆς ἀρχῆς λαβόμεν, cum Clemente & Ecclesia prima : id est, *ex Scripturis de Scripturis probationes & demonstrationes petimus.*

Tantum fide ut oculo opus esse statuimus, quæ in Spiritum resolvitur tanquam in causam. Spiritus vero fidesque licet verbo probari debent, ex præcepto Apostoli : non tamen ex

verbo

verbo tantum cognoſcuntur. Nam quę ſunt in anima (ait Thom. 1.2.112) cognoſcuntur experimentali cognitione, in quantum homo experitur per actus principia intrinſeca: ſicut voluntatem percipimus volendo, & vitam in operibus vitæ: & quamvis in univerſali, ut loquitur ille, id eſt τὸ τί ἐστιν diſtincte non poſſumus intelligere, niſi per ſubtilem & diligentem inquiſitionem, idque Scripturæ luce: tamen ad particularem cognitionem τοῦ ὅτι ſufficit ipſa præſentia, quæ eſt principium actus. 1.87.1.

Urgent vero adhuc; & audire cupiunt quo jure hoc nobis vendicamus, ut ex Scripturis ſolis judicium feramus privati, & tabulas poſtulant privilegium iſtud continentes. Qua quidem de re haud aliud reſponſum à me ferent, quam quod ante aliquot annos Pontifex Romanus à Venetis accepiſſe dicitur, apud Phil. Cam. interroganti enim Papæ de juriſdictione quadam in mari Adriatico ab iis exercita, cum nulla privilegia hac de re monſtrare poſſent, argute reſponde-

bant illi, mirari se quid sibi velit Pontifex privilegia illa petendo, cum apud se jampridem & quidem archetypa custodiret: nam si donationis Constantinianæ membranas inspicere vellet, à tergo vel in exteriore parte scriptam inveniret, idque literis majusculis, concessionem factam Venetis maris Adriatici. Quod & eodem modo in ista causa responsum valet, nam si inspicere vellent percontatores isti concessionem authoritatis, quam factam somniant Papæ; non iisdem membranis, sed iisdem verbis potestatem istam & nobis videbunt concessam. Hoc volo, nec nobis, nec ipsi Papæ de rebus istis quasi pro tribunali judicandi, decidendi, & definiendi concedi authoritatem: sed judicium quoddam discernendi, approbandi, & agnoscendi, non minus aliis concessum esse quam Episcopo Romano.

Sed multa narrant illi de traditionibus, de judice multa. Scripturam enim tam angustam ajunt, ut non omnia doceat: & tam versatilem atque obscuram, ut facillime possit ab hæreticis in diversum trahi. Trahi non nego, nec miror: nam ex jure scripto

causi-

cauſidici conquirunt ſententiæ ſuæ, quamvis contrariæ, patrocinium: ex arte medica medici: & quod majus eſt, ex unius ejuſdemque inſtrumenti fide patrocinium quærit litigantium uterque: non tamen vel abdicanda, vel minuenda eſt horum ſcriptorum authoritas. Abſit igitur ut contra divina momenti ſit ullius, quod contra humana nihil omnino valet.

Sed in politicis, Iudicem conſtitui clamant, cum authoritate ſumma, ad omnes lites componendas; idem in ſacris fieri debere, ne Eccleſiæ navis fluctibus & turbinibus perpetuo agitetur; ne Scripturæ ipſæ à quovis hæretico miſere lacerentur.

Agnoſco ego judicem: ſed audi qualem: non prætorem aliquem humano more in foro externo ſententiam ſuam ferentem: ſed qualem in artibus omnibus, logicis ſcilicet, Philoſophica, matheſi, & ſimilibus: hac tamen differentia, quod ibi judicatur veritas ex principiis nobiſcum natis theoreticis & practicis; hîc vero ex principiis divinitus revelatis: nam πίστις ἐ γεωμετρικαῖς ἀναλύσεις,

ἀλλὰ ταῖς τοῦ πνεύματος ἐνεργείαις ἐγγινομένη, ut recte Basilius. Nõ igitur est exspectandum ut talis feratur sententia, quæ nullis ἐριστικῶν cavillis ullo modo sit obnoxia: vel quæ ipsa pronuntiatione omnibus hæreticis fauces obstrueret, ita ut finis imponatur controversiis omnibus. Ipsi Christo ejusque miraculis plariè divinis, fidem à multis fuisse novimus denegatam.

Satis est, si sufficiat ad piorum animis persuadendam fidem: & impiis contemptoribus exculationem omnem adimendam. Sic vero Christum & solùm Christum per Spiritum in Scripturis judicium dicimus exercere: cui nos nostraque submittimus omnia, & ex ejus sententia pendemus toti.

Sed judicem præsentem oportet esse, ac visibilem dubitantibus. Quasi vero Imperatoribus & Pontificibus ipsis lites plurimas per rescripta componere, non fuerit sitque solemne. At Scriptura (dicunt) lex est ipsa, aliud vero est legem ferre, aliud judicare. Aristotelis verbis respondeo qui Rhet. 1. 1. sapientis

pientis Legislatoris esse docens hoc solum relinquere particularibus judicibus, ut de facto pronuncient (in factis autem Papam vel cum Concilio errare, atque adeo in eototo, quod ejus est judicii, si Christus sapiens, labi ac decipi posse fatentur) his verbis rationem suam subjungit, ἡ μὲν τοῦ νομοθέτου κρίσις ὡς καθ' ὅλου, ὅτι περὶ τῶν παρόντων ἀλλὰ περὶ μελλόντων καὶ καθόλου ἐστίν. *Legislator judicat de futuro*, & ut ante dixisset, *de omnibus si sapiens est judicat, praterquam de singulari illa quæstione, an sit factum hoc vel illud, nec ne.* Hoc ego diligenter observari vellem tam adversus Romanam illam cathedram, quam omnes novorum cultuum & mysticorum rituum authores: qui (Philosopho judice) cogi rationes suas secundas, ut Christi primis multo sapientiores sustinent venditare.

At non loquitur Christus, Scriptura non loquitur, ergo judicem habemus mutum. Respondeo, non λέγειν eam tantum, sed & λαλεῖν; ὅσα ὁ νόμος λέγει τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ;

Rom. 3. 19. Loquitur igitur Christus in Scripturâ, & ovibus suis claram vocem emittit.

Verum quid faciendum, si utraque pars sacras literas iactitet, & à se dicat pronunciare? Confugiendum tum ad media illa quæ hunc in finem reliquit nobis Deus: quibus humiliter & piè debemus uti. Consulendi etiam viri docti, & ἐν ταῖς γραφαῖς δυνατοὶ, sive in concilio sint congregati, sive alibi: non ut eorum authoritate nitamur, sed ut eorum opera & auxilio ex ipsis Scripturis veritatem perspicere possimus. Si in istis mediis legitime sancteque utendis, nobismet ipsis non defuerimus: in rebus necessariis non deerit Deus, Joh. 7. 17. Jac. 1. 5.

Sed urget nos, inquiunt, atque onerat Ecclesiæ perpetua praxis, quæ in fidei controversiis primas semper Episcopo detulit Romano. Nec nos sane inficias imus nobilem fuisse olim Ecclesiam Romanam, cujus quippe fides per totum mundum prædicabatur, cujus etiam Episcopi à Constantini temporibus Imperatorum beneficio maximis honoribus fuerunt onerati. Inde fuit,

fuit, quod ad istam Ecclesiam deferri ceperunt causæ graviores, ex condicto & constituto Episcoporum, ut hoc modo hæretici & schismatici facilius reprimerentur. Hinc exstitit, ut paulatim Episcopi illius sedis majorem sibi authoritatem raperent atque arrogarent, cæteris interim non admodum reclamantibus, qui in Romanorum authoritate magnum sibi præsidium positum esse videbant.

His vero gradibus Lucifer ascendit in cœlum, & supra stellas Dei fortis exaltavit solium suum, hoc est, ut planius dicam, Christo ex tribunali deturbato, jus divinum sibimet vendicavit.

Sed à principio non fuit ita. Origenes non agnovit: quum enim Megethius, Marcus, Droserius Valens, & Marinus, hæretici, quasi agmine facto conjunctis animis ac studiis, veritatem impugnabant, disquisitionem instituebat ille ex Scripturis, quæ etiam ei visæ sunt tam aperte sententiam ferre, ut non dubitaret, cæteris consentientibus, adoptare Philosophum quendam Græcum, Eutropium nomine, omnium dictorum arbitrum ac mo-

moderatorem: cujus tamen judicio se non ulterius acquieturum professus est Origenes, quam secundum veritatem. Hoc pium inceptum similis secutus est eventus: nam & victoria fuit penes Ecclesiam, & ipse Eutropius persuasus veritate, evasit Christianus, cumque eo Græci pariter multi, etiam hæretici.

Constantini sententia in Concilio Nicæno est omnium ore trita.

De sola Scriptura ut sistatur omnis quæstio, vult Tertullianus, hæreticos appellans *Lucifugas Scripturarum*.

Clemens Alexandrinus, sæpius à me propter antiquitatem ejus appellatus, non suam tantum, sed omnium bonorum sententiam, & praxin docet Strom. 7 εἰ πονεῖν ἐπιμοι ἐν τοῖς καλλίστοις ὁ ποτέρου ἀποφήσονται ζητοῦντες τ' ἀλήθειαν (quicquid definiat Romanæ fidei magister) πρὶν αὖ τ' ἀπόδειξιν αἰπ' αὐτῶν λάβωσι τ' χαφῶν.

Huic suffragatur Basilius, τὸ πρὸς τ' χρείαν ἱκανὸν σημαίνειν ἐκ τ' θεοπ-

θεοπνεύστου χραφῆς ἀκόλουθον καὶ ἀναγκαῖον εἰς τὴν πληροφορίαν τῆς θεοσεβείας, καὶ ὑπὲρ τοῦ μὴ προσεθισθῆναι ἀνθρωπίναις παραδόσεσιν. Hæc uno eodemque ictu tam judicem arrogantem exauctorant, quam putidas traditiones averruncant plane omnes.

Cæteri Patres quid hac in re sentiunt, qui scire cupit, legat ille vellem præfationem, quam Mornæus ille magnus præposituit nobili suo de Missa libro, ubi justum exercitum videbit patrum Scripturis ad istum modum militantium.

Nonne mirum igitur à Patribus istis omnibus tantopere dissentientes videre patricium sanguinem jactitantes, ut judicium illud, quod ipsis asylum fuit maxime semper exoptatum, hi non minus reformident, quam si L. Cassius acerrimus quæsitor pro tribunali sederet? Mirarer ego sane plurimum, nisi Cassianum illud haberem in animo, *cui bono*? Sibimet enim conscii, re quippe ipsa experti callidi errorum patroni, quam infœliciter sibi cederet

anti-

antiquum hoc tribunal : mutare cupiunt forum & nos ambulare secum jubent, ut judicium experiamur Papę; qui neque jurisdictioni præest, neque ab eo qui præest hac potestate præditus est; neque ab eo qui jus dandorum judicium habet, datus est, neque ex compromisso sumptus, vel ex aliqua lege (à nobis agnita) confirmatus est; atque adeo judex esse non potest. *D. tit. de jud. l. qui neque.* qui etiamsi judex esset, tamen non nobis æquus, non justus, quia litem hanc jamdudum suam fecit, & dolo malo in fraudem legis, sententiam dixit : nam evidens arguitur ejus & gratia & inimicitia.

τὶς ἢ αὐτὴ ἡ δίκη εἴη ὅπερ αὐτοὶ
οἱ ἀδικοῦντες δικάζοιεν,
judicent alii, ego in
Scripturis ac-
quiesco.

Veritas prævalebit.

FINIS.

GUIL. AMESII

Assertiones Theologicæ

DE

Lumine Naturæ & Gratiæ;

quatenus illud sufficiens, hoc necessarium est, ad intellectionem S. Scripturæ.

Ad l. à. D. perscriptæ.

Hactenus igitur studijs tuis optimis, eruditissime Iuvenis, non possum equidem non obsecundare, ut consulenti de re Theologicâ quid ego censeam, his pauculis commentationibus exponam.

Quæris, *An, & quatenus homo naturalis, illuminatione & gratia speciali destitutus, intelligere possit ex scripturis, ea quæ sunt creditu, & factu ad salutem necessaria.*

Responsio I.

DIstinguendum imprimis accurate existimo inter *cognitionem illam*, quâ quis intelligit sententiæ alicujus verba, unde desumpta sint, & quibus rebus

rebus applicari soleant, unde tenuis quædam & confusa illius oritur sententiæ perceptio: & *ulteriorem illam*, quæ ad res illas huic sententiæ subjectas, vel ad eam proprie & distincte nunc applicatas, pertingit. Sensus ille *Grammaticus* & verbalis vulgo dici solet: hic autem *realis*, & in Scripturis *spiritualis* dicitur. Illum communem statuimus homini Naturali: hunc vero non item.

II. Observanda est differentia inter illos terminos, sive argumenta, quæ Scripturæ sunt communia cum alijs artibus, aut usu communi; quorum usus & experientia omnibus promiscua sunt mortalibus. & illa quæ in fruitione & possessione solis dicata sunt fidelibus. Illa omnia æque percipit ψυχικὸς, imo accuratius non raro, quam fidelium vulgus: hæc autem non: soli enim intelligunt, *qui Spiritum acceperunt qui est ex Deo: ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus*, 1. Cor. 2. 12. 1oh. 3. 12.

III. Duplex enim est cognitio rei: una per narrationem & auditum solum, quæ *disciplinaris* dicitur, cujus generis

generis est intellectio illarum rerum, quas nec in genere nec in specie, ullo sensui præsentes habuimus; sicut cæcus natus, intelligit colorum quorumlibet & definitiones & distributiones, à videntibus ipsi verbis narratas: Alia vero est illa, quam ex re præsenti, & sensu perceptâ, manantem habemus, quæ in præsenti *Intuitiva* vocabitur. Illam infideles & impij multi assequuntur in ipsis fidei mysterijs; hanc vero minime. ὦ γὰρ μὴ πάρεστι ταῦτα, τυφλός ἐστι, μυωπάζων. 2. Petri. 1. 9. ὃ οἶδεις ἔγνω εἰ μὴ ὁ λαμβάνων, Apoc. 2. 17.

IV. Cum intellectio aliquando fiat per speciem, vel *imaginem alienam*; aliquando vero per *propriam* vel speciem, vel etiam essentiam: *Disciplinaris* illa est prioris generis, nimirum per speciem alienam leviter adumbrata; sed *Intuitiva* hæc per speciem propriam, solida evadit atque distincta. Unde est, quod & ψυχικὸς intelligat spiritualia, quasi aliæ res essent, quam revera sunt, μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι. 1 Cor. 2. 14. & necessaria sit, ad

sit, ad eorum τὸ τὶ intelligendum, Spiritus revelatio: πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τ διανοίας ὑμῶν, εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τ κλήσεως αὐτ. Eph 1.18 Spiritualia enim non possunt satis explicari per ullas species sensibiles: unde vel ipsâ talium rerum opus est præsentiâ, vel saltem repræsentatione earum spirituali. Species autem *aliena* sic fere differt à *propria*, quomodo internam ab externâ differre facit Scaliger, Exer. 307. s. 21. quas ejusdem notionis esse negat, & inde probat, quia externa species ustionis urit, interna vero nequaquam: vice enim versâ verè mihi dicere licet, *Propria* & interna species rerum spiritualium afficit & urit: externa vero per se, & *aliena*, est littera mortua. Sic enim ipse Christus, Ioh. 6. 63. τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν. Similiter Paulus, 2 Cor. 3.18. Ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τ δόξαν Κυρίου κατοπτριζόμενοι, τ αὐτὴν εἰκόνα με-

Tamor-

μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, καθάπερ ἀπὸ Κυρίου πνεύματος.

V. Sicut ſpecies recepta eſt varia, ſic etiam & recipiendi modus diverſus. *Quicquid* enim *recipitur, recipitur ad modum recipientis.* Senſus recipit ſpeciem modo ſuo, id eſt, ſenſitivo. Intellectus naturalis ſuo, id eſt, naturali. Spiritualis autem ſolus eo modo, qui conveniens eſt ſpiritualibus (quæ πνευματικῶς ἀνακρίνεται) id eſt, ſpirituali. 1 Cor. 2. 15. 16.

VI. Adhæc autem, ut omnia habeantur ſimul (*Myſteriorum regni Dei cognitio intuitiva; ſpiritualis, per ſpeciem propriam*) quatuor hæc ſunt neceſſaria. 1. Objectum tale cognoſcibile. 2. Subjectum vel organon cognoſcens. 3. Lumen deferens, & deducens objectum ut recipiat. 4. Lumen diſponens ac elevans ſubjectum ut recipiat. De objecto & ſubjecto non propriè jam controvertitur: neque etiam de lumine deducente vel attemperante, quod nihil aliud eſt, quam logica illa, una cum Grammaticâ & Rhetoricâ, qua traduntur nobis myſteria ſalutis in ſacris literis; quam ita claram & perſpi-

cuam

cuam statuimus, in omnibus absolutè (vel necessitate medii) necessariis, ut in tanta rerum majestate, ne cogitari quidem possit illustrior, nedum adhiberi. Vel imperitiâ igitur, vel deliberatâ calumniâ, Rhetores isti ita tragice insultarunt nostris, quasi Scripturæ perspecuitatem vocaremus in dubium.

VII. Sed de lumine disponente & elevante subjectum, sola est disceptatio. An scilicet naturale illud, vel inditum, vel acquisitum, sufficiat in Spiritualibus, cujus perspicacia in naturalibus valere conceditur: An vero supernaturalis requiratur insuper virtus, quâ novo modo, & illustretur mens, & corrigatur, & captivetur. Lumen hoc spirituale necessarium esse contendimus. 1. Quia nihil agit ultra suum genus; atque adeo naturale lumen intellectus, nullam proportionem idoneam habet ad spirituale objectum. 2. Quia obscuritas magna tam privationis, quam perversitatis, accessit ad naturalem illud defectum: ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ διὰ τὴν ἄγνω-

ἄγνοιαν, τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, Eph. 4. 18. & 5. 8. 3. Quia Scriptura apertis verbis teſtatur, *apertionem cordis*, (τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν, τοῦ συνιέναι τὰς γραφὰς, Luc. 24. 45.) *Spiritum revelationis*, Eph. 1. 17. & *novum* quendam *intellectum* à Deo donatum (νοῦ δὲ λέγω, inquit Paulus Timotheo, 2. Epiſt. 2. 7. δώῃ γάρ σοι ὁ κύριος σύνεσιν ἐν πᾶσι) omnino neceſſaria eſſe, etiam præter & ultrà patefactionem illam objecti quæ in verbo fit. 4. Quia hoc Sanctos obteſtari & ſupplicare Deum videmus, Pſal. 119. 18. 27. 73. &c. Quas preces nefariè illi abrogant, qui luminis hujus interni abolent neceſſitatem. Qua de re etiam atque etiam tibi perpendenda eſt ſeria illa exclamatio, quam piiſſimæ D. Iunij animæ extorquebat, Charronis illius Pariſienſis impia aſſertio. *Que nous ne devons pas demander & implorer le S. Eſprit, pour Sçavoir ce qu'il fault croire ou faire. Non opus eſſe votis parari auxilium Spiritus ſancti, ut ſciamus quid creditu aut factu ſit neceſſarium.* Movebatur ad hæc vir ille divinus, & mirabundus

dus exclamabat, *Est il possible que ceste pensee monte en l'ame d'un homme qui s'appelle Chrestien, qui ose la dire, & (qui plus est) la confesser par escrit. Potestne fieri ut hæc cogitatio ascendat in mentem hominis qui Christianus audire ambit? ausus sit eam eloqui, (& quod majus est) scriptis profiteri? &c.* Consule quæso illustrem illum locum, (*confrontation de la simple verité de Dieu, Liv. 3. chap. 2. section. 19.*) Iunium quasi pro nobis agentem audies. 5. Huc accedit etiam, quod contra sentientes, tam fidei quam resipiscentiæ, & obedientiæ originem in ipsâ naturâ, necesse est ut collocent: Nam objecti lumen nihil huc adferre potest, priusquam recipiatur & actu fiat ἐμφατὸν; receptionem vero naturæ acceptam referre necesse habent, si (quod faciunt) naturalem intellectum harum rerum capacem satis statuant; & voluntati naturalem illam facultatem inesse contendant, qua libere eligit vel repudiat objectum quodlibet, monstratum ab intellectu. Scœnæ igitur serviebant non veritati, cum sententiam illam nostram quasi suam ostentabant, (Articul. 3.) *Necessarium*, scilicet,

esse

esse hominem regigni & renovari mente, affectibus seu voluntate, & omnibus facultatibus; ut aliquid boni possit intelligere, cogitare, velle, perficere.

VIII. Istud vero lumen ita communicatur aliquando, ut exterius quasi verberet intellectum, & leviter afficiat, ut in Prophetis quibusdam & πρόσκαιροις: aliquando vero interius penetrat, ita ut mutet insuper animum, atque perficiat. Lumen *illud* transiens est, sic homines afficiens, ut ipsi interim *tenebræ* sint, καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν, Ioh. 1.5. *Hoc* vero Lumen stabile redditur: & hominum animos ita perficit, ut rectè de illis dicatur, *Lux estis in Domino.* Eph. 5.8.

IX. Lumen hoc insitum & ἔμφυτον, seminalem quandam præsentiam continet omnium bonorum salutarium, & sensum eorum adfert: unde cognitio sequitur talis, qualis à sensu oriri solet, de qua recte dicitur; *Nihil est in intellectu, quod non fuit prius in sensu.* Unde Apost. Ioh. 1. Epist. 2.27. καὶ ὑμεῖς τὸ χρῖσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ ἐν ὑμῖν μένει,

μέτρῳ, &c. Paulus 1. ad Cor. 2. 12. Ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν.

X. Ex isthoc sensu bene constituto & sæpius exercitato oritur tandem scientia illa quæ est apud *perfectos*. 1. Cor. 2. 6. quibus Διὰ τὸ ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχειν πρὸς διάκρισιν, Heb. 5. 14.

Hæc illa sunt, amicissime D. quæ tuo quæsito, pro captu literarum, & meis occupationibus, respondere in præsentia licuit, intimè & proxime (ut mihi quidem videtur) quæstionem vestram spectantia. Huc saltem ea redigere poteris quæ alibi extra ordinem dicta reperies; & ex hisce illustriora reddere, quæ à nostris ea de re disputata. Si vero quid lucis ea hac facula perceperis, ad Patrem luminis laudandum alacriores ambo excitabimur. Hoc est quod voveo.

GVILIELMVS AMESIVS *Tuus.*

FINIS.

GVILIELMI AMESII

DISPVTATIO

THEOLOGICA,

DE

Preparatione peccatoris ad conversionem.

THESIS. I.

QUin dispositiones illæ justificationis impetratoriæ, ac meritoriæ, vel ex condigno, vel ex congruo, quas Pontificij finxerunt, vel tantum à libero arbitrio, vel partim etiam à gratia proficiſci, jure merito ſint à noſtris omnibus exploſæ, non eſt in quæſtionem vocandum.

II. At vero propterea tam inviſum habere nomen ipſum *diſpoſitionem*, ut quis ſimul cum illis, omnes & affectus & motus præparatorios, ſine ulla diſtinctione, è medio tollat, quibus in homine peccatore, munit ſibi viam Deus ad congruam ejus converſionem, & aliquatenus eum ponit in ordine ad regenerationem tendente; hoc ejuſdem eſt judicii, ac ſi quis opera bona ſimpliciter negaret, quia opera meritoria jure damnantur.

III. Nos autem non dubitamus asserere, in omni peccatore post usum rationes convertendo, ac regenerando, ex ordine, præcedere dispositiones quasdam eo facientes, quamvis dispari gradu, secundum sapientiam dispensationis divinæ.

IV. Non designamus hic dotes ullas naturales, ex quibus nonnihil discriminis provenire videtur in faciliore, aut difficiliore perceptione, & exercitatione quorundam, quæ pertinent ad gratiam. Neque adoptare nobis volumus conceptum illum Buceri, in Matth. 12. *in electis etiam dum perdite vivunt latere semper quendam justi rectique amorem.* Illas tantum præparationes complectimur, quæ ex vocatione per verbum dependent ac procedunt.

V. De istis, nihil certius est, quam quod in *Syn. Dord. ad art.* 3. & 4. proposuerunt Theologi Britanni: *sunt quedam opera externa ab hominibus ordinarie requisita, priusquam ad statum regenerationis, aut conversionis, perducantur. Sunt quedam effecta interna, ad conversionem sive regenerationem previa, que virtute verbi, Spirituque, in nondum Justificatorum cordibus excitantur;*

qualia

qualia sunt notitia voluntatis divinæ, sensus peccati, timor pœnæ, cogitatio de liberatione, spes aliqua veniæ. Nam sicuti in generatione hominis naturali multæ sunt præviæ dispositiones, ita & in spirituali &c. Similia habentur apud Perkinsium de Cas. Consc. *lib.* 1. *t.* 5. ubi *quatuor* statuit *opera præparatoria, gratiam* (habitualem scil.) *præcedentia.* 1. *Fractionem aliquam contumaciæ.* 2. *Legis considerationem.* 3. *Agnitionem peccatorum.* 4. *Pœnitentiam legalem.*

VI. Hujus sententiæ non illa mens est, quasi hujusmodi opera essent, dispositiones regenerationi proportionatæ, ut habet se quicunque gradus caloris in ligno ab igne productus, ad ignem; aut quasi vim haberent ultimæ dispositionis, vel necessariam, vel certam semper connexionem habentis cum forma introducenda: sed quod sint dispositiones materiales, quæ subjectum faciunt formæ introducendæ magis susceptivum, ut se habet siccitas ligni ad ignem.

VII. Hoc autem efficitur per istas præparationes, partim qnatenus per illas impedimenta varia (ex parte saltem) removentur; sicut informatio in veritate tollit ignorantiam, dolor de

peccatis tollit voluptatem ex illis perceptam, timor tollit audaciam peccandi: & partim quatenus aliquid conferunt cujus usus magnus est in conversione, ut illuminatio, horror peccati, pudor turpitudinis ejus, desiderium (quamvis confusum) liberationis, &c.

VIII. Tanta est evidentia hujus veritatis, ut qui eidem refragatur, una temeraria sententia, videatur expungere totam primam Catecheseos partem, cum magna parte secundæ; & etiam abrogare ministerium totum verbi, in ordine ad conversionem peccatorum. Quemadmodum enim nullus est usus ministerij quoad regenitos ipsos, nisi ut præparentur & perducantur ad gloriam; sic nullus est ejus usus quo ad irregenitos, nisi ut præparentur & perducantur ad conversionem.

IX. Ex Scripturis (quamvis passim occurrat hæc doctrina) duo illa illustria loca proferimus, Marc. 12. *non procul es à regno Dei*, & Act. 2 37. *compuncti erant corde*. Ex priore enim bene observat Calvinus, *doceri nos, multos dum adhuc errore tenentur impliciti, clausis tamen oculis*

oculis ad viam accedere, & hoc modo præparari, ut maturo tempore in stadio Domini currant. Ex altero etiam observat idem, *dolorem de peccatis, esse initium pœnitentiæ, ad pietatem ingressum.*

X. Priorà illa verba Domini, non possunt sic obscurari & eludi, ut *per regnum Dei intelligatur Ecclesia, & per appropinquationem ad regnum, professio veritatis.* Neque enim vocabat Christus quenquam ad Ecclesiam, nisi per fidem ac resipiscentiam neque potest quisquam appropinquare ad Ecclesiam, quatetenus est regnum Dei; nisi prope sit ut Deus in ipso regnet. Omnes etiam Iudæi fuerunt tum temporis, aliquo modo in Ecclesia visibili: & alius veritatis professionem non fecerat hic Scriba, quam legalis.

XI. Secundi loci vis non declinatur sed confirmatur illo responso, quod *timor ille initialis de quo agitur, una cum cupiditate salutis ac gratiæ &c.* Act. 2. 37. & 16. 29. *sit pars quædam regenerationis, & effectum Spiritus sancti.* Nam sicut generatio aliquando includit prævias omnes dispositiones, sic regeneratio aliquando sumitur pro tota serie auxiliorum, quibus ad eam movemur.

Neque alia ratione potuit timor ille de quo in istis locis agitur, pars regenerationis vocari: quam quia antecedebat fidem ac resipiscentiam, sicut ex contextu manifeste apparet.

XII. Speciem hic quandam difficultatis habet quod apponitur: *timorem illum qui ex lege oritur in irregenitis, esse servilem, atque adeo non ad Deum adducere, sed potius causam esse aversionis à Deo.* Sed observandum 1. timorem quendam servilem donum esse Spiritus sancti, sicut omnes fere interpretes colligunt ex Rom. 8. 15. *Spiritum servitutis ad metum*, & tantum jam modo concessum fuit (thes. præced.) & amplius etiam quando *timor ille de quo agitur* Actor. 2. & 16. *initialis statuebatur pars regenerationis & effectum Sp. S.* Nullum autem donum Dei, nedum illud quod pars est regenerationis, qua tale, & per se, avertit à Deo. 2. Illud quod aliquo respectu avertit à Deo, potest per accidens adducere ad Deum: quemadmodum afflictiones per se tendunt ad malum, per accidens tamen cooperantur in bonum. 3. Qui timorem servilem dicit, duo dicit, videlicet ipsum affectum quo quis disponitur

ad

ad Deum ut peccati vindicem timendum; & deformitatem illam servilem quam habet annexam. Prius illud est in se bonum, & manet id regenitis. Sicut igitur in timore servili, est materiale substratum; sic materialis dispositio est ad timorem filialum, & conversionem: & sic adducit ad Deum, quamvis deformitas illa quam habet annexam inclinet ad aversionem à Deo. Hinc illud Calvini in Actor. 20. 21. & Inst. 3. 3. *Legalis attritio est pœnitentiæ initium, & præparatio ad fidem. Initium voco nostri displicentiam, quæ metu iræ Dei, serio tactos, ad quærendum remedium nos impellit.* Et Chamieri illa: *Sic solet lex Euangelio inservire, ut indicata certissima ex operibus damnatione, præparet quemque ad quærendam gratiam.* Tom. 3. lib. 15. cap. 4. & lib. 22. cap. 9. *Timorem servilem bonum esse, nos quidem concedimus; nimirum quatenus bonum, vel rationem* (forsan legendum esset tationi consentaneum) *vel utilitatem denotat: sicut* Aug. in Psal. 127. *Bonus est iste timor, & utilis est.*

XIII. Obj. 1. *Homo animalis ita se habet ut nec bonum facere possit. Ergo non potest disponi, dum talis manet, ad regenerationem.* Resp. 1. Nulla est consequen-

tia: *si non potest se disponere, tum non potest à Deo disponi.* 2. Homo potest aliquid facere quod bonum ist, i. e. ntile ipsi in ordine ad regenerationem. Exempli gratia, potest audire verbum prædicatum. 3. Potest facere aliquid materialiter bonum in genere boni honesti; & illud materiale potest esse, aut relinquere materialem dispositionem ad regenerationem. 4. Quod per se est plane malum, potest per accidens, dispositionem inferre ad magnum aliquod bonum. Sic venditio Josephi disposuit eum ad conservationem familiæ paternæ. Crucifixio ipsa Christi aliquo modo disposuit eum ad opus redemptionis.

XIV. Obj. 2. *Homo irregenitus quæ carnis sunt, sapit. Ergo non potest disponi ad regenerationem.* Resp. 1. Consequentia similis prioris. 2. Qemadmodum illi qui sapiunt ea quæ sunt Spiritus, possunt tales dispositiones habere ad mortem, ut eisdem eam ex condigno mereantur: sic nihil impedit, quin illi qui sapiunt ea quę sunt carnis, alii quales dispositiones habeant ad vitam spiritualem. quamvis non à se, neque vel merito, vel reipsa prioribus illis pares.

pares. 3. Possunt homines disponi ad illud sapiendum quod nondum sapiunt. 4. Possunt illi qui non sapiunt bonum, eo adduci ut intelligant se non sapere bonum, imo ut gustent donum cœleste: quod sufficit ad dispositionem.

XV. Obj. 3. *In homine irregenito peccatum regnat. Ergo.* Resp. 1. Non ita regnat peccatum in homine irregenito, quin illud regnum subjiciatur potenti regimini Dei. Nihil igitur impedit, quin secundum Dei voluntatem, etiam antequam tollatur, in hac aut illa parte, minuatur vel impediatur, quod sufficit ad materialem dispotionem. 2. Quemadmodum regnum gratiæ non semper excludit omnes dispositiones ad peccatum apostasiæ; sic regnum peccati non excludit materiales dispositiones ad gratiam regenerationis.

XVI. Obj. 4. *Homo irregenitus est mortuus in peccatis. Ergo non potest in ipso dispositio ulla esse ad regenerationem.* Resp. Consequentia nulla est, de dispositione materiali. Quemadmodum enim in corpore Adami per se formato, dispositio fuit ad vitam postea inspiran-

dam, & in ossibus, apud Ezechielem cap. 37. collectis, conjunctis, carne & cute indutis, antequam spiritum habuerunt infusum, major dispositio erat ad vitam, quam quum arida & disjecta manebant; sic etiam contingit in hominibus quibusdam vita spirituali destitutis.

XVII. Obj. 5. *Hoc pacto daretur status medius inter hominem regenitum & irregenitum.* Resp. Non sequitur. Quia dispositiones istiusmodi non mutant statum. Dispositiones illæ ad malum, quæ manent in regenitis, non mutant statum eorum. Dispositiones illæ corporis Adami, & ossium Ezechielis, non inducebant medium statum, inter vivens ac non vivens, hominem & non hominem, Status irregenitus, sicut & regenitus, magnam habet latitudinem, in qua locum habent varij generis dispositiones. Nisi hoc esset, quomodo negari possit, illos omnes qui sunt illuminati, participes facti variorum donorum Spiritus, & aliquo modo purgati, ac liberati à peccato, in regenitorum statu collocandos esse?

XVIII. Obj. 6. *Si dispositiones ad regenerationem, præcederent in homine irregenito;*

tum

tum homo irregenitus non haberet ſe in regeneratione mere paſsive, ſed etiam active. Reſp. 1. *Hominem in regeneratione, non habere ſe mere paſsive*, non debet illi mirum videri, qui paulo antea docuit, *cupiditatem ſalutis ac gratiæ, gemitus anhelantis conſcientiæ, & initialem timorem eſſe partes regenerationis.* In iſtis enim homo non ſe habet mere paſſive. 2. Neque intelligenti cuiquam novum apparebit eadem aſſertio, niſi intelligatur de primo actu regenerationis. In ſecundo enim non eſt irregenitus. Imo vero, non eſt abſurdum, dicere, quod Perkinſ. Cathol. Reform. cap. 1. omnium orthodoxorum nomine concedit: *in ipſo primo momento converſionis, voluntatis operationem aliquam eſſe, quamvis ordine naturæ, poſteriorem operatione gratiæ.* 3. Conſequentiæ ratio ulla poteſt dari. Corpus enim Adami, in ſpiritus infuſione, quamvis antea diſpoſitum fuit, habuit ſe mere paſſive: Sic etiam oſſa Ezechielis. 4. Adeo derelicta eſt ab omni ratione illa conſequentia, (à diſpoſitione qualicunque, ad cooperationem in actu regenerationis) ut ſi tales diſpoſitiones præviæ darentur, quæ regenerationem per modum cauſæ meritoriæ,

impetrarent, ne inde quidem sequeretur, hominem irregenitum, in ipso reali actu regenerationis, non habere se mere passive, sed active. Meritum enim non infert concursum realiter efficientem.

XIX. Obj. 7. *Consequeretur hinc, eos qui videntur reliquis meliores, regenerari; deteriores autem non regenerari.* Resp. Nihil minus. Nam 1. Quis dabit, omnes illos qui *videntur* reliquis meliores, esse magis præparatos ad conversionem? Hypocritæ sunt multi, qui videntur ipsis regenitis meliores; multo magis illis qui tantum eousque perducti sunt, ut cum dolore & desiderio liberationis, agnoscant serio sua peccata; Pharisæus videbatur melior Publicano. Luc. 18. Pseudo apostoli, qui transfigurabant se in Apostolos Christi, 2. Cor. 11. multis Corinthiis videbantur meliores Paulo. 2. Quis dabit, dispositiones istas materiales (de quibus agitur) certam connexionem habere cum regeneratione? Quam deniq; immane postulatum est, deteriores non posse vel paulatim, vel etiam (ut nonnunquam usu venit) una concione, aliquatenus disponi ad regenerationem?

Quæstio-

Quæſtiones duæ affines.

I.

QVæritur 1. *Vtrumne verbum Dei, ante regenerationem, ſalutariter audiatur?* Reſp. Salutariter aliquid dicitur fieri, 1. Quando actio ipſa ſtatum ſalutis præſupponit, & formali ordine, certaque connexione, ſaluti adhæret. Hebr. 6. 9. ἐχόμενα σωτηρίας. 2. Quando illud quod fit, aliquid confert ad ſalutem poſtea communicandam. Poſteriore ſenſu (non priore) affirmative reſpondemus. Hoc autem clare ſæpe apparet etiam in auditu verbi, qui notabili temporis ſpatio regenerationem antecedit. Cognitio illa ſacrarum literarum quam Timotheus habuit adhuc puer, 2. Tim. 3. fuit ipſi poſtea ſalutaris. Auguſtinus in Confeſſ. lib. 7. cap. 8. enarrans miſericordiam Dei, qua dignatus eſt ipſum necdum fidelem ad converſionem præparare: inter alia confitetur, aciem conturbatam & contenebratam mentis ſuæ, acri collyrio *ſalubrium* dolorum, de die, in diem fuiſſe ſanatam.

& *lib.* 8. *cap.* 8. Ego (inquit) insaniebam *salubriter*, & moriebar vitaliter. De illo autem auditu verbi, qui proxime antecedit conversionem, sic apparet: Auditus ille verbi qui producit fidem est salutaris. Sed auditus ille est ante regenerationem. Ergo aliquis auditus qui est ante regenerationem est salutaris.

Frustra hic objicitur, *verbum salutariter non audiri, nisi ex fide, quæ præsupponit regenitum; fructum non proferre, nisi in terra bona; corda esse aperienda ante attentionem.* Act. 16. Nam 1. (ut taceamus hic fidem quæ præcedit justificationem non posse præsupponere regenerationem secundum illos qui per regenerationem proprie intelligunt sanctificationem) auditus ille verbi qui non est formaliter salutaris ante fidem, potest per modum præparationis efficienter salutaris esse ante fidem, quatenus parit fidem, cum qua salutariter miscetur. 2. Primus fructus verbi auditi est, suo modo, facere terram bonam, ut sic manens in terra bona operum bonorum fructus possit proferre. 3. Act. 16. tria hæc conjunguntur: *audivit, Dominum*

Dominus adaperuit cor, attendebat. Quis poteſt negare illum auditum, qui apertione cordis perficiebatur, fuiſſe ſalutarem, quamvis ordine præceſſerit fidei fuit effectum auditus, in genere morali. Cauſa autem effecti formaliter ſalutaris, non poteſt non eſſe cauſaliter ſalutaris.

II. Quæritur. 2. *An illi qui docent, voluntatem neceſſario ſequi judicium intellectus, ad declinandam illam abſurditatem, quæ inde ſequi videtur (dona igitur infuſa non eſſe neceſſaria voluntati) recte dicant, dona infundi* in voluntatem, beneficio mentis illuſtratæ, *tanquam medij cujuſdam interventu*? Reſp. Hoc admodum inſcite dictum eſſe, patet. 1. Ex natura mentis, vel intellectus, qui nihil agit in voluntatem, niſi moraliter aut objective: cujus generis actus non poteſt eſſe proximum medium alicujus qualitatis realis communicandæ. 2. Ex naturæ donorum ſupernaturaliter infuſorum, quorum hæc eſt propria differentia, qua diſtinguuntur à donis acquiſitis, quod non producantur actu aliquo noſtro, atque adeo nec actu intellectus noſtri,

noſtri. Idcirco enim dicuntur infuſa, quia immediate à Deo increantur, ita ut non habeant medium proprie intercedens inter Deum, & ſubjectum ſuum. Contradictio igitur eſt in adjecto, *infunditur medij interventu.* 3. Ex comparatione donorum quæ infunduntur in voluntatem, cum intellectus natura. Charitas enim (quæ virtus eſt voluntatis) nullo modo eſt in intellectu, neque formaliter, neque eminenter: ac proinde non poteſt beneficio intellectus in voluntatem proprie infundi. 4. Quia ſi omnia iſta concedantur, de poſſe; non magis tamen neceſſarium eſſet (ex hypotheſi illa de neceſſaria ſubjectione voluntatis ad intellectum) ut dona ſupernaturalia in voluntatem quam in digitos infundantur: quia (hypotheſi illa data) voluntas æque neceſſario paret intellectui, ac digiti voluntati, & magis etiam: neque ulla major virtus eſt infuſiva donorum in intellectu, reſpectu voluntatis; quam in voluntate, reſpectu inferioris alicujus facultatis, ipſius imperio ſubjectæ.

COROL.

COROLL.

CRude asserere (sine ulla distinctione aut limitatione) nullam aliam esse vel potentiam, vel dispositionem, in ullo homine irregenito, ad hoc ut fiat regenitus, quam est in lapide, hoc nihil aliud est, quam lapides loqui.

FINIS.

ASSER-

ASSERTIO THEOLOGICA DE ADORATIONE CHRISTI.

In honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ad Chriſtianum cultum promovendum, theſin iſtam proponimus, tanquam extra dubium ponendam inter omnes Chriſtianos.

THESES I.

CHRISTUS Mediator adorandus eſt, etiam quatenus eſt Chriſtus Mediator.

II. Per *Chriſtum Mediatorem*, intelligimus Deum in carne manifeſtatum, & ſalutem noſtram procurantem.

III. *Adorationem* uno & eodem ſenſu accipimus cum cultu religioſo.

IV. Particula *quatenus*, ut etiam *qua*, *ut*, *in quantum*, *ſecundum quod*, ſi poneretur, nihil amplius poteſt in iſta propoſitione notare, quam Chriſtum mediatorem eſſe determinatum objectum adorationis; aut etiam juſtam aliquam rationem adorationis in ipſa medi-

meditatione Christi reperiri. Nos utrumque sensum suscipimus defendendum.

V. Sunt qui satisfeciſſe ſe honori Mediatoris autumant, ſi dicant filium Dei; *qui eſt Mediator, ſed non qua eſt Mediator, eſſe adorandum.* Sed dicendo, nihilo plus tribuunt Mediatori, quam illi tribuit peccatori, qui dicit, *Regem eſſe honorandum, qui eſt peccator, ſed non qua eſt peccator.*

VI. Ad ſententiam noſtram confirmandam, producimus teſtimonium Scripturæ expreſſum: Apoc. 5. v. 12. cū 9. *Dignum eſt Agnus ille mactatus, qui accipiat poteſtatem, & divitias, & ſapientiam, & vires, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Quoniam mactatus es, & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua & populo, & natione.* Nullus eſt apex, aut jotha in theſi confirmanda, cujus ratificationem non habemus hic expreſſam. *Agnus mactatus* eſt *Chriſtus Mediator. Agnus hic dignus eſt honore*, id eſt, *adorari debet*; *Quia nos redemit*: id eſt, *quatenus eſt Mediator.* Nullus hic locus relinquitur ulli ſophiſticæ eluſioni: niſi forſan effugium ex eo quæratur, quod ratio illa quæ redditur verſ. 9. non immediatè con-

connectatur cum illa δοξολογία, quæ verſ. 12. memoratur. Hoc autem nulla ex parte minuit vim argumenti. Nam 1. Angelorum acclamatio verſ. 12. directè ſpectat ad confirmationem adorationis illius quæ à Senioribus & Animalibus exhibetur Agno mactato, verſ. 9. 1. Animalia & Seniores *prociderunt coram Agno, & cecinerunt ipſa, ac dignitatem ejus prædicarunt*, Angelorum dictum confirmarunt, verſ. 8. & 14. ex illa ipſa ratione quæ exprimitur verſ. 9, *Quia mactatus es, & redemiſti nos.*

VII. Eandem veritatem ita demonſtramus: Cui ſubmiſſionem & ſubjectionem ſpiritualem, id eſt, animæ & conſcientiæ, debemus, tanquam Domino ſpirituali, ille eſt adorandus. Sed Chriſto Mediatori, qua tali, ſubmiſſionem ac ſubjectionem illam debemus. Ergo. Propoſitio eſt à definitione, ad definitum. Aſſumptio non ſemel in Scripturis habetur. Rom. 14. 9. 18. *Ad hoc enim & mortuus eſt & reſurrexit, & revixit, ut & mortuis, & viventibus dominaretur. Qui per juſtitiam, pacem, & gaudium, ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.* Epheſ. 5. 23. 24, 25. Chri-

25. *Christus est caput Ecclesiæ. Ecclesia sese subjicit Christo. Christus semetipsum exposuit pro Ecclesia.* Subjiciunt autem fideles conscientias suas Christo, ut Prophetæ, quem debent audire quia *ipse dixit*; & ut Regi, cui simpliciter parent, quia *ipse vult.*

VIII. Confirmatur idem evidenter ab ipsa natura & fine redemtionis: Qui redemit nos sibi, ut ipsi vivamus toti, ille est adorandus 1. Cor. 6.20. *Empti estis pretio: glorificate igitur.* Sed Christus qua Mediator, redemit nos sibi, ut ipsi vivamus toti. 2. Cor. 5. 15. *Pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Tit. 2.14. *Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibiipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.*

IX. Ut paucis verbis, argumenta multa complectamur; In Christum qua Mediatorem debemus credere. *Quem præstituit Deus placamentum, per fidem in sanguine ipsius.* Rom. 3.25. In eundem debemus sperare, sub eadem ratione, spe divina. *Qui est spes illa gloriæ.* Col. 1.27. Eundem debemus diligere charitate summa. *Si quis non amat Dominum*

num Iesum Christum, esto anathema maranatha. 1. Cor. 16. 22. Eundem denique, sub eadem ratione, qua credimus ac speramus in ipsum, absolute audire, invocare, & summa gratiarum actione celebrare debemus: sicut passim docemur in Scriptura, & omnes Christiani agnoscunt. Hæc autem non magis possunt absque adoratione præstari, quam potest quis honorari absque honore. Tandem uno verbo rem totam expediamus; non credimus quenquam Christianum in animum suum admittere posse sententiam tam Antichristianam, quod Christus, qua Mediator, vel nullo, vel civili tantùm honore afficiendus sit. Quia verò nullus datur alius honor præter civilem, quàm religiosus, evidenter sequitur, Christum, qua Mediatori est, religiosè colendum esse.

X. Ad illud quod solum (cum aliqua specie) objicitur, Christum qua Mediatorem, esse Patre minorem, atque adeò non pariter adorandum; quia minori minor debetur reverentia; bene respondit olim Bonav. in 3. d. 9. *Quod verum hoc sit, quando minor & major sunt diversæ personæ gradu dignitatis distantes.*

stantes. Hoc autem in proposito non est reperire: quia cum una in Christo sit personalitas, & illa attendatur secundum naturam supremam; unica & summa debetur ei reverentia, qualiscunque sit natura. Honor enim naturam respicit digniorem, & per consequens, illud quod est annexum ei.

AUCTARIUM

Assertiones Theologicæ

DE

ADORATIONE CHRISTI.

QVamvis neque nos fidem nostram subjicere volumus hominibus quibuscunque, & minimè omnium hoc à nobis postulare decet illos, qui se subjicere Christo Mediatori, qua tali, recusant: ne tamen destitui videatur sententia nostra suffragiis eorum, qui in Ecclesiis nostris suo merito tanti fiunt, ut ab ipsis in tali quæstione dissentire, suspicionem erroris secum adferret; idcirco ex eorum testimoniis sanè quam multis, hæc pauca visum est proponere notanda.

CAL-

CALVINUS.

Adoratio Dei propria, de tota Christi persona prædicatur, quatenus est Deus manifestatus in carne. Neque enim aut secundum humanitatem solam, aut secundum solam divinitatem humiliavit seipsum, ita rursus Filium suum Deus in eadem carne evexit ad summum honoris gradum, &c. in *Phil. cap. 2. vers. 10.*

Christus morte & resurrectione sua promeritus est, ut tam in morte quam in vita, gloriæ nominis sui serviamus.

Nec Deitatis singulare, nec humanitatis fuit, sed utriusque simul, quod legitur, potestatem accepisse Christum à Patre remittendi peccatis, suscitandi quos velit, justitiam, sanctitatem, salutem largendi, præfectum esse judicem vivis & mortuis, *ut honoretur quemadmodum & Pater. Inst. lib. 2. cap. 14.*

BEZA.

Hac distinctione utimur, ut in adoratione, Hominem quidem cum verbo conjungamus, sed quatenus sic Homo est,

mo est, ut sit Deus; Humanitatem vero, non quatenus Humanitas, sed quatenus est veri Dei Humanitas, adoremus. *Opusc. part. 2. pag. 106.*

Adoratur Christus ab omnibus, tum ut Deus, tum ratione humanitatis; non tamen absolute, sed quatenus hæc humanitas subsistit in persona Filij Dei, in *Ioh. 4. 22.*

URSINUS.

Nos cum omnibus orthodoxis defendendum suscipimus, per & propter unionem personalem, & in ipsa, totum Christum uno cultu adorari. Non solum Christi Deitatem, sed & ejus Humanitatem colit, adorat, invocat tota Ecclesia Christiana. *Def. admon. Neust cap. 1.*

ZANCHIUS.

Caro Christi, quatenus est unita, & pars personæ, adoratur. Summa: personaliter, idem & unus debetur assumpto, qui & assumenti, honos. *De incarn. lib. 2.*

Toti Christo, secundum utramque naturam, datum est hoc nomen, ut adoretur, quoad divinam essentia-

liter; quoad humanam, perſonaliter, per gratiam unionis.

Junius.

Perſonæ toti Mediatoris & Redemptoris noſtri, datum eſt nomen ut adoretur, ſecundum utramque naturam, tum divinam, *tum humanam. Defenſ. 3. tom. 2. pag. 179.*

Perkinsius.

Ex unione eſt, quod Chriſtus, quatenus homo, exaltatur ſupra omne nomen, adoratur. *Armille cap. 16.*

Humanitatem ipſam Chriſti, adoratione religioſa, Filio Dei debita, ab hominibus & angelis adorandam eſſe fatemur: eo quod Verbi humanitas ſit, in ſecundæ Deitatis perſonæ unitatem recepta. Chriſtus ut Mediator, tanquam θεάνθρωπος, vel ἀνθρωποθεὸς, in unitate unius perſonæ adorandus eſt. Catholica Eccleſia eos anathematizavit, qui carnem Chriſti, eum Dei caro ſit, adorandam non eſſe; neque una eademque adoratione Chriſtum una cum carne ſua colendum

dum contendunt. *De idololat. tom. 2. pag.886.*

POLANUS.

Caro quæ secundum sui naturam non est adorabilis, adoratur in incarnato Deo, non propter seipsam, sed propter unitum sibi secundum hypostasin, Dei verbum. *Syntag. lib. 6. cap. 16.*

PAREUS.

Non negatur, Christo esse flectenda genua, tanquam constituto & ordinato judici, quatenus est Mediator, & Homo. *ad Rom. 14. dub. 8 sub finem.*

BUCERUS.

Tantum abest, ut huic tanto honori obstet assumpta carnis humilitas, ut *hoc ipso*, quod huc humilitatis se demisit, eo honore cum pater sit dignaturus, imo jam eum illi dederit. *in Ioh. cap. 5. vers. 23.*

MARTYR.

Christus Dominus, etiam secundum

humanam naturam. *Confessione fidei, de persona Filij.*

ROLLOCUS.

Quæro ex te serio, an possis Deum honorare sine Filio (Christo scilicet Mediatore) & appello conscientiam tuam, an id dictet tibi? *in Ioh. 5. 23.*

DANEUS.

Ut intelligatur quid sit, propriè non dirigi nostram adorationem in carnem Christi, addidi statim, accipiendum esse de carne per se, aut in sese considerata. *Sic ex propriis suis verbis, à calumnia liberatur Daneus, apud Vrsinum, def. adm. Neust. cap. 1.*

FINIS.

GVIL.

GVILIELMI AMESII

ORATIO INAVGVRALIS

Franequeræ habita, Anno 1622. *Maij* 7.

Cum Theologiæ profeſſionem auſpicaretur.

EXODI XXVIII. V. 30:

Deinde pones in ſacro illo pectorali juris

URIM & THUMMIM.

HÆc vero ut cum qua decet religione à me proponantur, & à vobis etiam recipiantur; Dei Autoris gratiam, & ſupplex pacem imploro à Spiritu ſancto, efficacem ductum per Ieſum Chriſtum, Dominum & Salvatorem noſtrum Amen.

Siſtitur in hoc capite ſacerdos magnus primum veſte longa manicata, & quaſi talari indutus togâ; cui ſuperinduitur tunica brevior inſtar togæ prætextæ, malogranatis & tintinnabulis ad fimbria ornata. Adſtruitur Ephod vel ſupparum cinctorium à ſcapulis utrinque dependens, duabus gemmis inſigne, cui anterius nectitur ſacrum pectorale, annullis catenuliſque hinc

inde conjunctum. Omnia vero ſplendido cincta baltheo, & cidari decorata regali. Hæc quamvis eximiam præ ſe ferant majeſtatem, unum tamen præ cæteris egregium video ornamentum: illud ſcilicet pectorale ſacrum; menſurâ parvum (ut Hieronymus obſervat) ſpithamæum nempe; ſed ſupradictis cunctis multo ſacratius: fuit enim quadratum & geminum, tribus lateribus commiſſis, & uno aperto; atq; adeo propter duodecim gemmas inhærentes externè, continebat inſertæ URIM & THVMMIM ut arcana maxima. De quibus mihi dicere inſtituenti quærenda ſuggerit verſiculus iſte: Significatio quæ, & quis uſus.

Res ipſas quod attinet, diſſident ac variant ſententiæ Scriptorum. Nam plurimi ſunt, qui ſcripturam fuiſſe dicunt, ſed cum diſcrimine. Alii nomen ſtatuunt πραγμάτων, inter quos & Hieronymus: alii vero alia quædam pertinentia ad veritatem juſtitiæ ac doctrinæ, ſcripta in rationali; ut Thomas: quorum neutrum mihi poteſt ullâ ratione ullove modo probari.

Nam

Nam præterquam quod Cabbaliſticum quiddam ſonent, & eandem incudem oleant cum *ſchen haphores* cui Chriſti miracula tribuerunt olim inſulſi quidam Judæi: prius illud inane prorſus & ſupervacaneum foret; cum Iehovæ nomen aureæ inſculptum laminæ in fronte geſtabat Sacerdos: alterum vero ſingulare nihil aut egregium in ſe habuiſſet; cum non Levitæ tantum, ſed & è plebe quilibet legem illam ad frontem & brachia membranulis inſcriptam habebant.

Non deſunt autem qui Scriptionem nullam agnoſcunt, & tamen res ipſas quas ponunt in verba mera commutant: eiſdem enim verbis denotari putant gemmas, quæ verſu præcedente ſunt commemoratæ. Rationem etiam ſubjungit Brentius, quod ſcil. cap. 39, cum narratur obſequium, quod his ipſis mandatis præſtabat Moſes, cæteræ gemmæ memorantur omnes; ſed de URIM & THUMMIM ne gry quidem additur: quod non fuiſſet omiſſum, ſi aliud quidpiam à duodecim fuiſſent gemmis. Sed ratio iſta nullius omnino eſt ponderis: tribus enim ultimis hujus libri capitibus, non

Moſis obſequium, ſed σύλλογον tantum & indiculus continetur earum rerum, quæ ab artificibus fuerunt confectæ: Moſis vero partes deſcriptas habemus, Levit. 8. 8. ubi indidiſſe fertur pectorali Sacro VRIM & THUMMIM, quod de lapidibus duodecim neutiquam poteſt intelligi: illos enim Bezaleel & Aholiab paraverant ſimul & inſeruerant prius, ſicut legimus Exodi 39.10. *Inſeruerunt ei ordines lapidum.* &c.

Non igitur ijdem fuerunt Lapides; fortaſſe ne Lapides quidem aut gemmæ, quales terra vel mare ſolet miniſtrare: ſed ultra naturæ rationem, arcano miraculo à divinâ manu producti. Quod ſi quis ulterius adhuc moleſtus erit, quærendo cujus erant materiæ; is facile à nobis reſponſum accipiet, dummodo ille nos antea certiſſime doceat; quodnam Lapidis genus illud fuit, cui Lex Dei digito inciſa, & primò tradita Moſi; qualis fuit ignis ille cælitus immiſſus in altare, & nunquam exſtinguendus; aut alter ille ignis ardens in rubo nequaquam combuſto; qualis denique nubes illa, quæ Ægyptijs tenebras, & Iſraelitis Lu-

cem

cem attulit ſimul: quæ omnia cum multis id genus alijs ignorari poſſunt ſine diſcrimine, & ſine diſcrimine non poſſunt à quoquam inveſtigari. Ignota igitur materia.

Ignotus etiam & numerus, utrum res fuerint duæ, an ſub duobus nominibus res una. Unam fuiſſe rem ipſam exiſtimaſſe videtur Auguſtinus in Pſal. 42. nec alienum eſt à Scripturæ phraſi, quæ alibi URIM tantum nominat, ſilens de THUMMIM, ut Num. 27. 21. *Eleaſarem conſulat de judicio* URIM & 1. Sam. 28. *Iehova non reſpondebat Saulis, nec per ſomnia, nec per* URIM, *nec per Prophetas*. De numero multitudinum videbitis poſtea.

Significationem nominum omnibus notam opinor, ex verbis unde deducta ſunt adeo ut unum inflammationes ſive illuminationes, alterum q. d. ſynceritates, id eſt, perfectionem & ſimplicitatem notet. Quâmvis enim de voce lis ſit apud Grammaticos Latinos, utrum ſincerus dicatur, qui ſine cera, i. e. perfectus ſit: de re tamen ipſa conſtat *ſincerũ* Latine & תמים Hebraice, tam ſimplicitatẽ, ab omni mixturâ & fuco, quam perfectionem, ab omni

vanitate & defectu alienam, in uſu recepto complecti. Neque emphaſi caret, quod articulus ut inſignis notatio adiungitur in Hebraica lectione את האורים ואת התמים *illas luces & illas integritates.*

Uſus etiam externus & immediatus latere neminem poteſt. Oraculum fuerunt Dei veri, ubi in incognitis & difficilioribus conſuli voluit à populo ſuo: unde in hoc verſu nomen poſitum & ſæpe uſurpatum, *pectorale Judicii*, & *jus filiorum Iſrael.* Quoniam inde judicium dedit Deus, indeque Iſrael jus ſuum petebat. Quo vero pacto aut qua ratione hoc fieri conſueverit, tacet Scriptura, diſſentiunt Scriptores. Si tamen ullus ſit conjecturæ locus, per Spiritus revelationem, non per lapideum ſplendorem, Deum crederem reſpondiſſe. à qua interpretatione non abhorret ipſa collatio horum ſignorum quæ hic indicantur, *pones in pectorali*, & *portabit ſupra cor ſuum:* judicium illud ex pectore & ex corde proficiſci docens, cujus Symbolum & quaſi Sacramentum χειρόγραφον iſtud fuiſſe videtur.

Sed

Sed in ſignificatione Grammaticâ & uſu externo non eſt acquieſcendum: maius quiddam agitur, typica ſunt hæc omnia, quæ de rebus ſacris tum temporis inſtituta fuerunt. Quod tam certum & celebre fuit olim, ut ſi Iuſtino Maſtyri credendum ſit, Plato ipſe Idearum ſuarum conſtituendarum primam anſam arripuerit ab hoc exemplari in monte exhibito Moſi, quod græcè eodem nomine cum Ideis inſignitur: παράδειγμα enim & τύπος appellatur. Inter typos autem illuſtrandis rebus divinis adhibitos, lux eſt inprimis apta ex natura prorſus admiranda puritate, pulchritudine, origine, beneficentia, vi virtuteque illa qua pollet illuſtrandi, fovendi, purificandi, calefaciendi, exhilarandi, aliiſque affectionibus, quæ Deo ejuſque donis congruentes ſunt & affines valde.

Ad ſignificationem igitur quod attinet ſpiritualem, Chriſtum ut Mediatorem imprimis in illo pectorali habemus nobis adumbratum: nam τὰ πρὸς τὸν θεὸν, quæ apud Deum agenda & nobis procuranda ſunt, agere & procurare noſtro

stro nomine Christum indicant gemmæ cum populi nominibus inscriptis splendentes extra. Hic enim Ecclesiam sistit coram Deo absque maculâ & labe. Nec satis habet eam humeris potentiæ gestare (id enim typicus hic repræsentavit sacerdos, super humeros portans lapides monimenti duos, ut est hujus capitis versu 12.) nisi in corde etiam & pectore singulari ratione dulcissime complectatur. E diverso autem τὰ πρὸς ἡμᾶς, quæcunque apud nos sunt perficienda, perficere Christum hæc intus condita URIM & THUMMIM, quippe quæ omnia typicè denotant, quæ Deus largiri solet, vel in votis habere pii.

Ad Christum autem spectasse mysterium hoc vel inde liquet, quod appropinquante ejus adventu, divinitus antea fuit sublatum, hominumque negatum usui. Fuerunt enim quinque arcana maxime adoranda, quæ in templo secundo nusquam exstiterunt. Arca cum Propitiatorio, Cherub, ignis divinus (nam fabulam Apocryphâm de ejus absconsione, 2. Machab. 1. nihil moror) Spiritus prophetiæ, atque

URIM

URIM & THUMMIM. id ſcil. agente Deo, ut genus humanum ſanctiorum jam rerum, & lucidiorum URIM & perfectiorum THUMMIM deſiderio & exſpectatione afficeretur.

In Chriſto igitur lux, quæ ut inquit Zacharias Luc. 1. 78. *viſitavit nos, oriens ex alto.* Imo in Chriſto ſunt luces & perfectiones, id eſt, perfectiſſimæ luces. non enim eſt obſcurum ſidus aut minuta ſtella, ſed Sol Iuſtitiæ (Malachia interprete) radiis ſuis electos perfundens omnes. Neque ſibi tantum habet integras luces : ſunt jus filiorum Iſraelis, iiſque applicandum, quippe eidem pectorali duodecim nomina tribuum fuerunt inſculpta. Non immerito igitur in Eccleſiâ priſca baptiſati omnes, ut Chriſti participes, φωτισθέντες dicti ſunt & baptiſmus φώτισμα, ut docet Baſilius in Aſceticis : cuius etiam rationem reddit Clemens Alexandrinus 1. cap. 6. quia nempe βαπτιζόμενοι φωτιζόμεθα, φωτιζόμενοι υἱοποιούμεθα, υἱοποιούμενοι τελειούμεθα, τελειούμενοι ἀθανατιζόμεθα.

Nobiſcum non naſcitur ſalutaris iſta

iſta lux, ſed ad illam renaſcimur ſolius Dei gratuitâ communicatione. Patet hoc vel ex hac ſcripturâ. In omnibus enim aliis ornamentis & veſtibus a Moſe commemoratis, legimus dum præſcribuntur, *& facies, & facient, & ſcribent* & dum curatio narratur, legimus itidem, *& fecerunt, & ſcripſerunt, & incideruntt*, vel ſimilem aliquam phraſin hominis artificium indicantem. in hujus vero Arcani diſpoſitione mutatur plane formula: nihil enim aliud legimus quam *& pones* vel ex Hæbræo verbo, *& dabis in pectorale judicij* URIM & THUMMIM. Quamvis enim in cæteris Bezalielis & Aholiabi uſus eſt Deus opera: in iſtis tamen attendere nos voluit, quam iſtis faciendis impares ſint Myrones, Polycleti, Lyſippi Bezalieles omnes, nec poſſe hęc uſquam comparari, niſi Deo in Chriſto largiente benigne.

Hic autem jucundiſſimum eſt contemplari vim ac rationem illam, qua Deus nobis proſpexit, ut ad contemplationem hujus lucis evehamur. Sicut enim ab orbe condito duo ſtatuta ſunt luminaria magna quibus Lux hæc aſpectabilis in omnes mundi par-

tes

tes diſpergeretur: ſi etiam ad iſtam veritatis Lucem communicandam, conſtituit Deus Inſtrumenta duo ſacra, totam ſalutiferam ejus voluntatem complectentia; quorum quod *Vetus Teſtamentum* vocatur, fuit quaſi luminare minus ad præfecturam noctis; alterum vero quod dicitur *Novum*, eſt quaſi luminare majus ad præfecturam diei. Ex iſtis duobus petendum eſt omne lumen, quod facit ad vitæ inſtitutionem. Philoſophia gentium, (ut rectè obſervatur à Clemente Alexandrino Strom. 5.) ſimilis eſt illuminationi illi, quæ fit ex Scirpo quem homines accendunt, artificio quodam à Sole lucem ſuffurantes. In illâ Scintillas tantum exiguas emicantes habemus; quæ ſic viam demonſtrant, ut medio curſu deficiant, vel potius quæ viam demonſtrare nequeunt, ſed tantum retinere ne longius aberres. In Scripturis vero Sol ipſe pleno ſuo ſplendore affulget, ut & vitæ noſtræ curſum ad ultimam metam regat, & perducat ad beatitudinem immortalem. Omnes igitur qui lucem exſpectant gloriæ, illud imprimis curare debent, ut genuini ſint filii hujus lucis.

Quem-

Quemadmodum vero Sol ipſe, qui radios undequaque ſpargit, ſtellas tamen perfundere dicitur maximâ luce, ita Sol iſte juſtitiæ irradiat quidem omnes qui cæcâ nocte denſiſque tenebris non delectantur; ſtellas tamen quaſdam ſibi famulantes habet, quas benigniori illuſtrat radio, ſi ſibimet ipſis de ſplendore cæteris ferendo proſpiciant, atque ideo a Chriſto *lux mundi* vocantur, & *lucernæ poſitæ in candelabris ut domui ſplendeant toti.* In iſtam igitur ſpem cum vos nati & educati ſitis, quotquot S. S. Theologiæ, ac miniſterij candidati auditis; etiam atque etiam meminiſſe vos oportet tituli veſtri, ac vobis ipſis interpretari; quale nempe quantumque ſit, Eccleſiæ paſtorem ac Dei legatum agere. Veſtrum erit ex arce quaſi & pharo Scripturæ, lumen inferre gregibus in pelago ignorantiæ iactabundis, ad prænuncianda vada portuſque, ne decepti tenebris in ſcopulos incidant & ſyrtes.

Neque exſpectandum eſt, ut Deus è cælo vobis interim oſcitanter & otiosè deſidentibus infunderet neſcio quas δύναμις. In ſudore vultus com-

paran-

paranda ſunt vobis illa ſubſidia, quibus ut perſpicillis idoneis muniti accuratius alijs lucem Scripturæ penetrare poſſitis. Primævæ vel exemplares linguæ vobis neceſſario ſunt addiſcendæ; eouſque ſaltem, ut Deum aliquomodo intelligere valeatis, non alienâ linguâ, ſed ſuâ propriâ loquentem; & interpretum opera non ſimplici credulitate niti, ſed cum judicio, & aliorum doctores decet, uti. Dialecticæ etiam habitus vobis imprimis eſt acquirendus & induendus; non ſophiſticæ illius, quæ nec in vitâ humanâ nec in rebus divinis ullum habet uſum: ſed illius máximè ſeriæ, quæ parentem ac magiſtrum habet eminentium authorum conſtantem uſum; atque adeo dicta ſcriptaque pręclara tam per Analyſin artificioſam retexere, quam per Geneſin imitari decet. Cujus unius beneficio diſtinctum rerum ordinem perſpicue, breviter, & percipietis ipſi, & efficietis etiam cum vultis, ut idem ab alijs percipiatur.

Nihil imprudentius fieri poteſt, quam iſtiuſmodi ſtudijs aut prorſus neglectis, aut a limine tantum ſalutatis, per ſaltum quaſi ad graviora ferri,

& ut

& ut obvia illa ac plana ſint vobis, exſpectare. Quemadmodum enim ſcalarum gradus ſi tollas, alios incidas, nonnullos male hærentes relinquas, ruinæ periculum ſtruas, non aſcenſum pares: ſic tot modis tam mancum, tam fractum ſtudium Theologiæ, quid tam auguſto titulo dignum, aut peritis probandum poteſt proferre?

Ab iſtis autem præſidiis parati & expediti, ſi ad aſſiduam & religioſam Scripturæ lectionem accedatis, dici non poteſt, quantum inde proficietis. Aſſiduitas hic eſt tam neceſſaria, ut qui ab initio non aſſueverit huic lectioni, tanquam quotidiano penſo; vix ullâ diligentiâ poſtea tam familiares habebit Scripturas ac omnem decet verbi miniſtrum. Alphonſus Arragoniæ rex decies & quater Sacra Biblia tota, unâ cum gloſsâ ordinariâ dicitur perlegiſſe. Reidbeus martyr Anglicanus omnes Epiſtolas Pauli memoriter didicit, cum Cantabrigiæ ſtuduit. Cromſellus quidam, aulicus, brevi tempore ac vitâ occupatiſſimâ totum novum Teſtamentum ab Eraſmo verſum quaſi devoravit. Quantus tum pudor erit, ſi miniſterii candidatus,

tus nihil fere Scripturæ ſciat, præter locos omnibus notos, & non niſi ex indicibus & concordantijs.

Diligentiam iſtam comitari ſemper debet religioſum animi propoſitum, & ſtudium ſincerum pietatis, ſine quo nec ſatis unquam percipitur veritas illa Dei, quæ eſt ad ſalutem; nec prout percipitur vim & efficaciam juſtam, ne apud alios quidem obtinebit. Non percipitur; quia radix & principium veræ ſapientiæ eſt revereri Deum; neque habitat intelligentia recta in conſcientia aut corde impuro. *Non niſi in expiatum pectus deſuper ſe lumen infundit*, ait Cyprianus. Non eſt efficax apud alios, quia verba quæ à labris dicentis proveniunt, non ultra unquam penetrabunt in auditorum corda, præſertim ſi mores apertè repugnent. Sectentur igitur alij, ſi velint, fædas libidines, turpeque otium & opera tenebrarum. Tu vero qui homo Dei vel jam audis, vel audita Dei poſtea meditaris, iſta fuge; ſectare autem lucem, veritatem, & integritatem. Huic ego omini ſacro plane acquieſco. Neque adjiciam quidquam illi præter vota.

Te ſup-

Te ſupplices veneramur, qui pater es luminum, & ſanctitatis author, ut paſtores Eccleſiæ concedas ſecundum cor tuum, qui paſcant eam ſcientiâ & intelligentiâ. Tu Dominus es meſſis, immittas quæſumus operarios fideles; & eorum conatus felici ſecundes eventu: ſint URIM & THUIMMIM tui penes Levitas tuos, ut obſervent ſermonem tuum & fædus tuum cuſtodiant, ut doceant judicia tua Iacobum, & legem tuam Iſraelem. Hæc ut fiant, ſoſpites, & ſanctifices, petimus, omnes illos qui miniſterio ſacro ſeſe totos devoverunt, præcipuè vero hujus Franequeranæ Academiæ alumnos, cum eorum fautoribus omnibus, per Ieſum Chriſtum, Dominum & Salvatorem unicum, benedictum in ſecula. Amen.

FINIS.

GVILIELMI AMESII

ORATIO

INAUGURALIS.

Habita Franequeræ Friſiorum,
An. 1626. Cal. Iun.

Cum Rectoris Magnifici munus ingrederetur.

QUæ duæ res in omni dictione maximè ſunt ſpectandæ, (qua de re & apud quos agendum fuerit;) illæ ambæ in foro, in judiciis, & in ſimilibus oratorum ditionibus, ſeſe offerre ſolent & ingerere orationem aliquam habituris. Sed ex iſthoc loco, iſtaque occaſione dicturi unum illud notum certumque habent, quos habituri ſint auditores: alterum eorum relinquitur judicio vel inventioni, qua de re potiſſimum ſint verba facturi. Hoc ita tamen in eorum arbitrio poſitum eſſe videtur, ut quaſi legem ſibi impoſitam habeant, dicendi materiam accipere ex auditorum conſideratione.

Quum igitur intelligebam ex conſuetu-

suetudine receptâ in hac Academicorum vel Athenienſium illuſtri coronâ hodie mihi nonnihil eſſe dicendum; cogitare mecum cœpi, quid talibus auribus maximè conveniret. In iſtiuſmodi vero conſiliis, quia eorum veſtigia, qui cum laude fructuque præiverunt, tutiſſimum eſt quoad fieri poteſt implere: ſubierunt animum illuſtria quædam exempla, eorum præcipue qui Athenis claruerunt: Inter quos unum oratorem invenio plane divinum, quem hodie in argumenti delectu imitari decrevi. Nonnulli hic fortaſſe Demoſthenem, Æſchinem, Lyſiam, aut Periclem cogitabunt; magni nominis viros, & nomini reſpondentis ingenij: quorum elogium fuit, γνῶναι τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα. Ego vero altioris ordinis virum intelligo, non Athenienſium tantum, ſed & omnium gentium Doctorem, Apoſtolum Paulum.

Quemadmodum enim ille in Areopago dicturus, explicandam elegit inſcriptionem cujuſdam aræ, cujus titulus Ἀγνώστῳ Θεῷ, *Deo ignoto*: ſic etiam & ego vobiſcum hoc tempore commu-

communicare decrevi, quæ mecum ſum meditatus de inſcriptione Academiæ noſtræ, CHRISTO & ECCLESIÆ; Chriſto, non Deo quidem ignoto; nec tamen ſatis noto. Fertur huc animus eo magis, quod inſcriptionem ipſam neglectam, obſcuratam & ſemideletam obſervem, quod quidem ſi caſu ab operarius barbaris factum ſit, renovationem aliquam poſtulat: ſi vero imbrobo conſilio factum appareret, piaculo magno expiari deberet, notari utrunque juvat, & quaſi malum omen omnibus votis averti.

Lex eſt iſtiuſmodi Symbolorum, ut multa contineant paucis, quam hic obſervatam fuiſſe, ut omnes intelligant, quot & quantæ res ſint, quarum pauculæ iſtæ voces ſunt gravidæ, eo ordine quo ſeſe offerunt declarare conabor.

Ante omnia vero memoranda ſimul & ſuſpicienda occurrit pietas eorum, qui Academiæ conditores & inſcriptionis hujus authores fuerunt. Philoſophi (quos Hieroymus *animalia gloriæ* & *popularis auræ mancipia* vocitare ſolebat) iis ipſis quos adverſus inanem gloriam ſcribebant, libris, dum nomina

mina sua apponebant, eandem illam vanitatem quam oppugnabant, arguuntur captasse. Simili plane modo in Academiis multis, quæ ut aliis vitiis, gloriæ inanis cupiditati oppositæ debentesse castra, conditorum nomina sunt capitalibus literis inscripta. Imo videre est, Curatorum, eorumque non optimè meritorum, tabulas Academiæ nobis vicinæ appenses. Nulla est fere urbecula, quæ portam aliquam exstruit, sine mentione senatus, populique sui. Apud Pontificios collegia & monesteria ubique occurrunt, Divo Thomæ, Francisco, Dominico & similibus, qui patribus nostris, Prophetis & Apostolis, fuerunt *Dii ignoti.* Quanto sanctius & generosius fecerunt isti, qui & suis, & mortalium omnium nominibus omissis, Christum solum & Ecclesiam ejus in isthoc opere cogitarunt?

Neque vero istam professionem suam temporariam esse voluerunt. Cnidius quidam architectus fabricatus Ægypti regi pharum vel turrem magnificam, unde nautis nocturna lumina ostenderentur, singulari dicitur usus vaframento: suum nomen in mu-

in muri ipsius Lapide clam incidit, & calcem deinde superducens, nomen inscripsit regis : fore id quod accidit auguratus, ut haud paulo post literæ illæ cum lorica sua diffluerent, atque insculptum saxo appareret, *Sostratus Deixipharus Cnidius Diis salutaribus ob navigantes*. Cnidios certè nimis multos habemus, qui privatas suas cupiditates paulo post apparituras honestis nominibus tegunt & incrustant. Sed longè alij fuerunt hujus Academiæ fundatores, qui non calci, non vitro, sed Lapidi firmo incidi voluerunt suæ pietatis monumentum.

Hæc certè omnia animo meo complectens, videor mihi generosum & illustrem Comitem Gulielmum Nassovienſem intueri, stipatum gravissimo senatu magnorum virorum, antiquæ sinceritatis cultorum, quos inter Nobilissimus D. Adonia primus Academiæ curator, singulari quodam zelo eminebat, magna voce clamantes cum Davide: *Non nobis Iehova, non nobis, sed nomini tuo da honorem, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.*

De inſcriptionis noſtræ ſimplice pietate ſufficiat hæc pauca dixiſſe: ſpectanda jam ſuccedit prudentia illa maxima, quam habet conjunctam. Videbant viri conſultiſſimi, certum aliquid ſtatuendum eſſe inprimis omnibus feliciter acturis, ad quod colliment ſtudia & conatus eorum omnes: monitum illud ſapientiæ, non tantum judicio ſed & experientiâ ſuâ comprobarunt, τὶς ὦναξ θέλῃς ἑαυτῷ πρῶτον εἶπε, εἰθ' ὕστω πόνῃ σὺ ποιῇς. & ſanè quidem. Certe peſſimè cum illis agitur, qui ex aliis propoſitis in alia tranſiliunt, aut ne tranſiliunt quidem, ſed caſu quodam tranſmittuntur: qui ſuſpenſi & vagi fluctuant, aliud ex alio ſectantes vicibus alternis, petita relinquentes & repetentes relicta; nihil quicquam certum decretum manſurum habentes. Huic levitati debemus, quod tam multos ſimiles habeamus illius de quo Severus Caſſius dixiſſe fertur; *quaſi diſertus es, quaſi Formoſus, quaſi dives, unum tantum non quaſi Lapſana.* Sic itidem & hi; quaſi Dialectici ſunt, quaſi Philoſophi, quaſi docti, quaſi Medici, Iuriscon-

conſulti, Theologi; ſed unum tantum non quaſi inepti. Nihil igitur magis ex re & uſu eſt veri ſtudioſi, quam quolibet mane à ſemetipſe quærere, verbis Poëtæ;

Eſt aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris corvum teſtaque lutoque?
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?

Noſtris vero primis inſtitutoribus non ſatis fuit ut hujus Academiæ cives aliquid haberent quo tendant, ſed egregium illud & ſummum, imo divinum eſſe voluerunt; Chriſtum ſcil. & Eccleſiam. Quod res eſt piè & prudenter monebant: anguſti eſſe animi, jejuni & ſordidi, in terram ſemper curvari, humi reptare, voluptates & opes aut honores mundanos cum vulgo ſectari. Eſt autem in hoc quod ſingulariter nobis gratulemur, quotquot Theologiæ veræ ſincere ſtudemus: abſit enim invidia verbo, nos prærogativâ quadam gaudemus in Academia Franequeran, ſi Chriſto & Eccleſiæ non nomina tantum, ſed & corda damus, & nos totos, prout profeſſio poſtulat, dedimus. Tum non

inter alia multa mediatè & remotè, ut cæteri omnes boni, ſed hoc unum proprie, directè & proximè agimus ut Academiæ titulum tueamur.

Inſana eſt execratio illius parentis votum, qui filium tenerum ut ait ille,

Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes:

Qui nihil aliud aut magis illi optat, quam ut gratia, fama, valetudo contingat abunde,

Et mundus victus, non deficiente crumenâ.

Majora ſunt ad quæ nos mittimur, & quæ nobis voventur, dum Chriſto & Eccleſiæ ab initio conſecramur. Hoc quid ſit, & quantum valeat, ſi diſcere vellet improvida juventus, vitam Academicam non verteret in pœnitentiæ ſementem.

Audiviſtis de fine, cognoſcite ad illum ſpectantia, quæ ſimul etiam in iſthoc ſymbolo innuuntur. Horum primum eſt in ipſo propoſito, voto, juramento, vel Academiæ militiæ Sacramento, quod in hac inſcriptione præſcriptum habent omnes Academiæ cives. Primum militiæ vinculum eſt religio

religio Sacramenti, ſignorum amor, & deſerendi nefas; tunc deinde cætera facile exiguntur, mandanturque ad jusjurandum adactis. Nos hic vexillum habemus erectum, & Sacramenti formam expreſſam: CHRISTO & ECCLESIÆ; profitentur igitur & religioſe ſpondent quotquot Academiâ donantur, ſe Chriſto & Eccleſiæ fidelem operam pro virili ſuâ navaturos, adverſus quoſcunque pietatis hoſtes.

De Annibale famoſo illo Carthagenienſium duce, & Romanorum hoſte ſcribitur, quod cum annorum fuit ferme novem, ab Amilcare patre altaribus admovebatur, & tactis ſacris, jurejurando adigebatur, ſe quum primum poſſet, hoſtem fore populo Romano. Non fuit irritum conſilium hoc Amilcaris. Etiam in Punico ingenio iſtiuſmodi Sacramenti religio plurimum valuiſſe videtur. Idem enim Annibal jam quinquagenarius factus, apud Antiochum bellum cum Romanis geſturus, hoc uno argumento fidem ſuam, hac oratione confirmavit. *Pater Amilcar*, inquit, *parvum admodum, me cum ſacri-*

ficaret, altaribus admotum jurejurando adegit, nunquam amicum fore populo Romano. ſub hoc ſacramento ſex & triginta annos militavi: hoc me in pace patria mea expulit: hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit: hoc duce ſi tu meam deſtitueris, ubicunque vires, ubi arma eſſe ſciam, inveniam toto orbe terrarum quærens, aliquos Romanis hoſtes. Odi, odioque ſum Romanis. Id me verum dicere pater Amilcar, & Dij teſtes ſunt. Simili plane modo Academiæ juvenes admoventur altari, & quaſi jurejurando fidem ſuam aſtringunt, ſe eoſdem hoſtes habituros cum Chriſto & Eccleſiâ. Niſi minor ſit nobis religio fidei Chriſtianæ, quam Ethnicæ, hoc ſacramento conſtanter militabimus ad finem uſque vitæ.

Hic etiam unum illud neceſſario addendum videtur, non ſic interpretandum eſſe hoc Sacramentum, quaſi defunctus eſſet officio ſuo, qui oppoſuerit ſeſe Antichriſtis, vel Chriſti & Eccleſiæ hoſtibus hæreticâ aliquâ ratione agentibus: niſi ſimul etiam Chriſto colendo, & Eccleſiæ ejus ædificandæ ſedulam operam navet. Bene hoc à Lactantio jam olim fuit obſervatum, Literatorum hunc eſſe quaſi proprium

prium errorem, impugnare religiones falſas, ut non inducant veram; & eo modo incidere in errorem multo majorem, quam illi, qui falſam tenebant. Minus enim & impii & ſtulti ſunt, qui falſam religionem ſuſcipiunt, quam qui nullam. Illi ſummum hominis officium, quamvis non re ipſa, tamen aliquo modo tenent: hi autem nec in re nec in propoſito quidquam habent vel laude, vel homine dignum.

Talis eſt profeſſio, ſequitur officii & beneficii brevis conſideratio. Beneficium vix majus cogitari poteſt, quam quod iſto titulo exhibetur: Chriſtum ſcil. publicè ac liberè doceri, & ſic Eccleſiam procurari. Hoc illud eſt quod a Salomone, ut benignitatis divinæ ſingulare documentum prædicatur. *Nonne ſapientia clamat & intelligentia edit vocem ſuam? in faſtigio editorum locorum, ad fores portarum, in ingreſſu oſtiorum recantat, dicendo: quouſque o fatui amabitis fatuitatem? & deriſores deriſionem deſiderabunt ſibi? & ſtoldi odio habebunt ſcientiam?* Hæc certè indoles propria Academiæ Chriſtianæ, ut ibi conſtituantur, qui juventutem paſcant verâ ſapientia; ut ſit bonarum

artium quasi mercatura ; ut ex bellua homines, & ex hominibus faciat Christianos. Opportunè igitur admodum celebratur hoc beneficium , dum sapientiæ domus proprio suo titulo indigitatur, sed simul etiam omnibus inculcatur.

Suscepisti onus grave, scripsit Cicero ad filium suum , & Athenarum & Cratippi, a quibus inanem redire turpissimum est, dedecorantem & urbis authoritatem & Magistratum, sed gravius multo est onus Academiæ Christianæ. Nihil igitur accommodatius ; quam ut quoties istum locum ingredimur, audiamus quasi vocem de cœlo, cunctis inclamantem, CHRISTO ET ECCLESIÆ. Vos qui docetis, fugite frivolas nugas, noxios errores fugate ; nolite famæ & pompæ inani, sed *Christo* & *Ecclesiæ* velificari. Vos qui discitis bonas horas bene collocare, cavete species, fucos, impostura scientiæ falso sic nominatæ , studete sanæ & præclaræ doctrinæ, cui innutriti possitis *Christo* & *Ecclesiæ* inservire. Hæc meditamini ; in his estote.

Sed jam dictum satis de interpretatione hujus Symboli, quum pro eo

quod

quod pluribus verbis hoc peregi, quam apud tales auditores debui, veniam ab omnibus intelligentioribus petitam, impetramque velim. Unum tantum restat brevissimè expediendum, ut ad rectam istam regulam obliquos mores paucis exigamus.

De Academiis Italis hunc in modum pronunciat homo Italus Johannes Boterus. *In illis petulantiæ licentia ut conceditur, ita exercetur. ibi calami in pugiones & atramentaria in thecas pulveris bombardici abierunt: disputationes in cruentas cædes, schola in propugnacula pro lubitu quidvis agendi, Academici autem in homicidas mutati sunt. Irrisui ibi habetur honestas; verecundia & castitas dedecori: adeo ut studiosus, verè studiosi vitam, honestam nempe & modestam victurus, nihilo plus efficiat, quam si seipsum in extrema pericula det præcipitem.* Gravis certe querela, horribilem faciem exhibens, non Academiæ, sed speluncæ latronum, & perditorum nebulonum. Minus mirandi sunt tales mores, in Academiis Italis, quæ non *Christo & Ecclesiæ*, sed *Antichristo & meretrici Romanæ* sunt addictæ. At vero simile quiddam in iis etiam scholis repiri, quæ Christi & Ecclesiarum reformatarum nomen gestant,

pudor eſt & confuſio faciei, ſeges luctus ac lachrymarum. Maledictæ ſunt in æternum depoſitiones iſtæ germanicæ. Iterum dico, & piæ omnes animæ dicent *amen*, in maledictione & deteſtatione perpetuâ ſunt abominandæ illæ depoſitiones, quibus omnis modeſtia & pudor deponi ſolebat, & effrænis licentia introduci. Ludis & jocis annumerari ſcio haſce peſtes: ſed nemo nos ſeducat inanibus ſermonibus. propter hæc & quæ ex his ſunt exorta, revelata eſt ira Dei de cœlo. Iſtis moribus debemus miſerabilem illam faciem Academiarum & Scholarum nobiliſſimarum, de quibus ne cogitare quidem poſſumus, ſine mærore ingenti, & de illis multa loqui prohibente. Prohibere tamen nihil quidquam debet, quo minus manum Dei extenſam agnoſcamus, & nobiſmet ipſis in tempore caveamus.

Qualis olim fuerit Academiæ huius conditio & ſtatus, non eſt meum referre, quia de iis præter auditum nihil habeo. ſed & eo mihi conſtat, quod ante paucos annos ex reliquiis depoſitionum, ſcelerata quædam exorta ſit conjuratio, eo ſpectans ut inſcriptio

Aca-

Academiæ commutaretur, & pro CHRISTO ET ECCLESIÆ, BACCHO & BACCHANTIBUS poneretur. Id enim agebatur, ut cum omnia alia licerent, nemini liceret *Christo & Ecclesiæ* studere, sed initiarentur cuncti etiam inviti sacris plane adversis. Antichristiana illa machinatio tanto cum impetu provehebatur, ut res perducta fuerit ad triarios. Sed Christus non defuit suæ causæ, Academiam suam vindicavit. Manet nomen ejus, & ut speramus ac vovemus, non in lapidibus tantum, sed & publice in statutis, & privatim etiam in moribus & cordibus multorum usque & usque manebit sacrum. In istâ curâ provinciam hanc quam suspicio, præcipuè collocatam esse intelligo. Faxit Deus ut eandem diligenter adhibere, & feliciter etiam sustinere queam.

DIXI.

ORATIO EXIMIA

DE

CERTITVDINE SALVTIS, & PERSEVERANTIA SANCTORUM

non interciſa,

Cantabrigiæ Habita

A

D. ESTEIO, Theologo ſummo: qua, non ſecuritatem perverſam, ſed maximum pietatis zelum, certitudinis hujus genuinum fructum demonſtrat.

Prout edita eſt Anno 1613. *ad calcem Diſceptationis Scholaſticæ Ameſii &c.*

Viro doctiſsimo D.P.

HOc *quidem recte judicas* (*judicioſiſſime vir*) *quod poſt errorem illum primum de fide prævisa, nihil te videre dicis , in eadem quæſtionum ſerie, quo magis & Chriſti gloria, & Chriſtianorum labefactetur fide; quam cognato illo* , *de* Apoſtaſia Sanctorum. *Eo autem omnino falleris , quod à me ſententiam hanc eventilatam eſſe putas, concertatorio more. Epiſtolas aliquot commutavi fateor , cum tituli illius auctore , defenſionem noſtram* , gratiam *nempe* ſalutarem , ubi ſemel radices egit, inde nunquam excuti totam , *literis*

teris primis firmavi; apposui etiam firmamenta quædam ejus, vel eorum potius fastigia summa.

1. Hoc enim (ne te celare quidquam videar) dicebam à Deo nobis promissum Jer. 32.40.

2. Hoc ipsius non nostra potentia præstari. 1. Petr. 1.5.

3. Hoc idem exigere naturam ipsius gratiæ, quæ permanens, vincens, & immortalis est. Ioh. 4.14. & 1. Joh. 2. 19. atque inter illa dona quæ sunt ἀμεταμέλητα. Rom. 11.29.

4. Solidam alias consolationem non suppeditari fidelibus ex sua fide, incertis quippe de futuro, Rom. 8.3°.

5. Nec justificationem & sanctificationem veram, electorum fore propriam; sed ijs cum reprobis ipsis communem;

nem; quod aperte videtur Scripturis adversari. Act. 13. 48. Tit. 1. 1. Joh. 3. 18. 36. & 5. 24. 2. Tim. 2. 21. Matt. 7. 23.

6. Addebam insuper, baptismum ipsum iterandum esse necessario, si semel renati denascantur unquam, & vitam resurgant denuo. Rom. 6.

7. Huc etiam facere dixi, quod relatio illa quæ fundamentum habet, non tam in fieri quam in facto esse, qualem logici dicunt inter patrem & filium intercedere, cessare nunquam potest, dum manent ipsa subjecta. Contar. de prim. Philos.

8. Monebam denique, doctrinam istam vetustissimorum assensu non destitui. Sic enim inter cæteros Cyprianum habemus definientem, de unit: Eccl. Nemo existimet bonos ab Ecclesia posse

discedere : triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam, procella subvertit. Inanes paleæ tempestate jactantur : invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur.

Has ego rationes discutiendas ipsi per discipulum quondam misi, qui ut ita facerem fiducia quadam rogabat, & idoneum responsum, magistri spondebat nomine ; quod tamen adhuc nec elicere potui, nec extorquere.

Non est igitur quod amplius aliquid in isthoc genere à me expectes. Nec enim opus esse puto, nisi ut os obthuretur seductori alicui importuno, post tot tantorum virorum scripta, scriptioni novæ manum admovere.

Nec quidquam sane in ista causa video, cui multum fidunt qui contra sentiunt, præter veterem illam, imo vietam nunc & veternosam calumniam,

de spre-

de ſpreta ſanctitate, ſtudioque pietatis hac occaſione neglecto, quia fidei & ſalutis immota docetur certitudo. Huic autem iniquiſſimæ criminationi, egregie occurrerunt multi; quorum apologiæ piæ, ſtudioſorum manibus quotidie jam teruntur: nonnulli etiam minus adhuc noti, non minus tamen docte pretextum illum ſatis abſterſerunt.

Inter hoſce vero illuſtri laude conſpicuus D. Eſteius, qui Cantabrigiæ claruit cum clariſſimo Wiitakero, quo uſus eſt etiam valde familiariter; & illius academiæ ſpes altera fuit. Huic ille ne obſiſteret ſubnaſcenti tunc errori, orationem diſertiſſimam habuit inter ſuos, quæ tanta eſt rerum ac verborum ubertate & gratia inſtructa, ut nihil dubitem, quin deſiderio tuo & cujuſvis pij, abunde ſatis in iſta parte fecerit. Hanc igitur, quoniam gratiſſimam eam tibi fore novi, ex mea reci-

recipies apotheca. Si tibi quid ejusdem notæ ſuppetat, impertias quæſo viciſſatim.

Tuus.

GUILIELMUS AMESIUS.

Certitudo ſalutaris gratiæ non amittendæ, vel ad tempus, non eſt ἀργὸς λογὸς.

BEne de ſuis, etiam noſtris omnibus Chriſtiano nomine (ut cum Auguſtino loquamur) dealbatis, prophetavit Eſaias c.9.20.21. *Singuli carnem brachii ſui comedent, Menaſche Ephraijmum, Ephraijm Menaſchem, ſimul iſti contra Iehudam.* Qui omnes, licet aperta vi, alii in aliorum fortunas, aut vitas non involant; veritatem tamen, qua nihil pretioſus eſt, eripere, aut quoque modo deformare conantur. Nam ut a Caini temporibus ad Chriſtum natum, quæ fuerit Eccleſiæ ratio, non dicamus, miſſamque faciamus illius temporis hiſtoriam, ad hanc noſtram memoriam deductam; proponite animis veſtris, vel ad momentum temporis, quot quantique fluctus, intra annos ſeptuaginta,

ginta, Eccleſiam Chriſti pertranſierint, dum Romanarum menſarum aſſeclæ, pro Papa Romano, & quod triſtiſſimum eſt, ex nobis ipſis exorti ſunt, qui loquuntur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant, in Germania, Dania, inque te, qua minime oportuit, caſtiſſima integerrimaque Anglia, & tua (dolens dico) Cantabrigia. Sed conſolari nos debet iſtud Apoſtoli, *oportet etiam hæreſes inter vos eſſe, ut qui probati ſunt manifeſti fiant inter vos.* Quare ne dejiciamini animis (chariſſimi adoleſcentes) ſed errores noveritis, oderitis.

Cum vero omnis doctrina ſana in perpetuos varioſque reprehenſores incurrerit, tum nulla magis quam illa, quæ rem cauſamque religionis continet, quæ eſt de gratia ſalutari: quam non eandem fatentur omnes, plerique incertam, & penitus finaliterque amitti contendunt; plurimi ad tempus extingui vociferantur: nimirum ut ſecuritati neſcio cui obviam eatur, & ignaviæ omnes fibras evellant. Prudenter quidem illi metuere, ſi juſtis de cauſis: ſin ut lutum luto, ſic illi errorem errore cumulent, videant ne cavendo cauto-

res capti ſint. In hac quidem cauſa, contra domum Davidis acquieſcit Syria cum Ephraimo, Roma cum filijs Sionis, in fratres orthodoxos: quo acerbior victoria futura eſt, cum fraterno ſanguine redundet neceſſe ſit; nimirum cum Euangelici quidam eruce ſignati ἐπροδιδασκαλῆντες eſſe probentur.

Sed ut cauſam ipſam nudemus (punctim enim non cæſim pugnare decretum eſt) ſtatimque conficiamus, defenſionis noſtræ voces ſingulas excutiamus, ne qua nobis κρεσφυγέα quæri judicet quis. Certudinem ergo eam intelligimus, cui falſum non ſubeſt, non error ullus: ſalutarem item gratiam non ut abſtractum quiddam, ſolam aut quoad ſe, aut per ſe, ut quidam (noſtra ſententia) argutias captantes, loquuntur; ſed in ſubjecto, qua ſique hoc modo ſententiam noſtram explicaremus: *qui certus eſt de gratia non amittenda, ne ad tempus quidem poteſt quieſcere, aut ceſſare, & quod iſti ajunt ſecurus eſſe.* Fatemur quidem permultos eſſe qui opinionis errore, fingunt habere ſe fidem, cujus imaginem vix adumbratam geſtant;

gestant; in eoque turpissime decipi, sitne ipsis vera fides, nec ne: quem vero constat fidem pro certo tenere, otio torpescere, ac langueſcere posse negamus. Præterea & illud addimus (quanquam non sit necesse) etiam eos ipsos, in quibus hanc gratiam extingui posse negamus, judicare nonnunquam se gratia prorsus excedisse, eoque solo nomine sępe vehementer animo commoveri: ita quidem ut stimuli isti (si nihil sit aliud) satis acuti sint ad eos pungendos, ne posthac data gratia abutantur. Ad hæc salutarem gratiam non quamvis dicimus, sed spiritum regenerationis, a quo est vera & radicem habens fides, ex qua efflorescunt spes & charitas. Multa similia veris Christi membris cum hypocritis fatemur: non ità tamen quin ab istis, vere Christo insitos, edentes ex illo manna abscondito, habentesque calculum album, & in calculo novum nomen inscriptum quod nemo novit, nisi qui accipit, multum diversos esse & dicamus & censeamus,

ἀργὸς λογὸς Philosophis ignava ratio, cui si pareamus nihil est omnino quod aga-

agamus de vita, ut Cicero de Fato, non donum Dei ἀναζωπυρεῖν soliciti simus, resipiscentiam non renovaverimus, fidem confirmaverimus, denique quod isti volunt securi fuerimus. Satisne moleste sententiam nostram in auribus vestris explicuisse videmur? hanc cum uno verbo comprobavero, concludam altero, ut jciunitatem meam brevitas compenset.

Sed quoniam Patrum quorundam voces, nostræ defensioni adversari contendit Bellarminus; has primum conciliemus, nostrasque esse doceamus, ne præjudicio magis oppressa causa nostra, quam certa ratione victa videatur. Sic igitur Augustinus de cor. & grat. c. 13. *Quæ præsumptio* (nimirum securitatis nunquam a Christo cadendi) *in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Primo, non sic agemus, tolle mihi e causa nomen Augustini, remove ac prætermitte authoritatem hominis quæ in hac causa nihil valere debet. Constat statuere illum sanctorum perseverantiam certissimam fore:

sic enim loco citato. *Quod etiam perseveraturis sanctis sic ista dicantur, quasi eos perseveraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent, quam ut expediat non altum sapere sed timere.* Deinde, fidelium multitudinem, & quosdam de filiis perditionis, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere vivere vult, & aliquandiu fideliter ac juste vivere; ut minime omnium contra nostram sententiam hoc testimonium afferre debeat Bellarminus. Nos enim defendimus, quod ille ignorare non potest, electorum fidem toto genere, ab ea quæ hypocritarum, ac προσκαίρων est, diversam esse & alienam. Quid quod doctrinam ipsam non arguat Augustinus, quam nos præcipue hoc tempore defendimus, sed applicationem, ut ita loquamur, ad subjectum, in quo veretur præsumptionem. Quid autem hic velit, declarat in Psal. 85. *Quidquid est circa te, vel in te, unde possis præsumere, abiice a te & tota præsumptio tua Deus sit.* Audin? præsumptio tua sit Deus. Et in Psal. 147. *Terror ille* (nempe de die novissimo) *securitatem parturit. Territi enim precavemus, pre-*

caven-

cavendes ſecuri erimus. Quomodo enim præpoſtera ſecuritas in terrores impellit, ita ordinata ſecuritatem parit. Et paulo poſt, *Fluctuat cor, quando Chriſtus dormit, quid adhuc dubitationis tempeſtate jactaris? Excita Chriſtum, excita fidem tuam, conſpice oculis* (Auguſtinum audite) *fidei vitam futuram, propter quam credidiſti:* ut mihi cum illa ſuperiora ſcriberet Auguſtinus, quod de Anaxagora (ni fallar) Ariſtoles, propriam ipſius vocem ignoraſſe viſus ſit. Nam hoc ipſo in loco, *Male inventurus eſt dies noviſſimus illos, qui hoc modo ſecuri ſunt, ideo quia perverſe ſecuri ſunt. Securi ſunt enim in voluptatibus ſeculi, cum deberent eſſe ſecuri cupiditatibus domitis ſeculi.* Reliquaque apud eundem præclare. Hæc placuit aſcribere, ut judicent adverſarii recte ne fidei & ſanctificationis ſecuritatem reprehendant. Idem Auguſtinus in illa verba. Pſal. 55. *Scivi quoniam Deus meus es tu*, ſic habet. *Magna ſcientia, non ait, ſcivi quia Deus es, ſed quia Deus meus es tu*: & Paulo poſt, *eorum Deus proprie dicitur, qui eum diligunt.* Vt omnibus pateat, hanc divini favoris erga nos ſcientiam, non reddere Chriſtianos perverſe ſecuros. Sed ſi

ab Auguſtino ad Auguſtinum provocare non ſit ſatis, audiamus Ignatium θεοφόρον, epiſtolâ 3. quæ eſt ad Magneſianos, Οἶδα ὅτι φυσιοῦσθε: Ἰήσους γὰρ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς. Non metuit ſanctiſſimus martyr ſecuritatem, contrarium ſcivit, coram Chriſto (quem nos in omni certitudine adeſſe dicimus) non poſſe ſtare negligentiam, aut ſocordiam. Placetne Bernardus? Sermone 79. ſuper Cantica, in iſta verba *tenui eum nec dimittam*, prolixus locus eſt de Chriſto & Eccleſia: *Quid hac copula fortius, que una duorum tam vehementi voluntate firmata eſt: tenui eum: tenet fidei firmitate, tenet devotionis affectu: vides fidei firmitatem, charitatem non reſtringere.* Sed & Gregorium magnum moral. 9. cap. 17. obiicit Ieſuita, quem hoc modo ſcribere fingit, *Scimus nos gratiam habere, ſuperbimus*, arte & licentia Ieſuitica nova poſt poeticam & hæreticam. Gaudeo ſane exempla me contuliſſe; Quid vero Gregorius loca a Bellarmino dicto? *plerumque ſi ſcimus bona que agimus, ad elationem ducimur*; de gratia

gratia verbum nullum, ut non quid faciat ſanctificatio diſputet, ſed quæ piis hominibus circa recte facta tentationes oriantur, intelligamus. Quod vero de Phariſæo adducit Bellarminus, nihil eſt; cum ne micam gratiæ illi fuiſſe exploratum ſit. Auguſtinus in defenſione æternæ prædeſtinationis noſter eſt, item diſcipulus ejus Proſper, quorum ſuffragia, niſi quod veſtro conſulam, ſane multa & ſplendida protuliſſem.

Sed diutius quam par eſt, a propriis firmamentis aberravit oratio noſtra, ad quæ cogenda eſt. Primo non poſſe certitudinem gratiæ retinendæ cum reprehendenda ſecuritate convenire, docere conabor. Secundo ut poſſe, demus, numquam evenire tamen contendemus. Ultimo, caput ipſum a quo manavit tantus error, aperiam. Hæc tria cum dixero; finis erit, mihi recitandi, vobis audiendi. Principio igitur, certitudinem hanc, quam tantopere premimus, ſervandorum propriam eſſe aſſerimus: ignavia vero iſta quam verentur adverſarii, ſua ac

peculiaris est, hominum deploratorum ac perditorum. Unus Esauus, erit pro omnibus, qui Gen. 25. 34. *vendidit jus suum primogenitorum, Iacobo, qui illi dedit panem & jusculum e lentibus qui comedit ac bibit, deinde surgens abiit: sic contemsit Hesau jus ipsum primogenitorum.* Sic Laiischum, populum quietum & securum libidini Danitarum dedit Deus, Iudicum 18, 27. Sic fore in adventu filii hominis prophetat Christus. Matth. 24. 38. *Sicut in diebus qui præcesserunt diluvium edebant, & bibebant, uxores ducebant, & nuptum dabant ad eum usque diem, quo ingressus est Noe in arcam, nec agnoverunt diluvium*, id est, agnoscere noluerunt, quod ignorare non poterant. Nisi igitur terram cælo miscere voluerint, sententia desistant adversarii. Certitudinem tam esse saluti cognatam fatentur ipsi, ut sine revelatione consistere posse negant; securitatem vero nisi in Theologia plumbei esse voluerint, & ἀθεόλογοι, pessimi status πεμπήριον esse, fateantur necesse est. *Ante leves* ergo quod Poeta egregius. Ex hoc genere est illud

illud Pauli, Rom. 6. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? Baptizati in Chriſtum in mortem eius ſunt baptizati*, ut vere fideles : clamat concluſio muto me. Huic ſuaviſſime concinit dilectus Apoſtolus, epiſtola 1. cap. 3, 6. *Quisquis in eo manet* (ut ſoli fideles) *non peccat*. Anne indulgere peccato & torpere otio poſſe putas? & Paulo poſt. *Quisquis natus eſt ex Deo* (fide nimirum purificatus) *peccato non dat operam, quoniam ſemen ipſius in eo manet: nec poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt.* Ignaviam vero recte Satanæ cunas dixeris, in quibus miſeri peccatores ſopiti jaceant. Quid quod electio deque ea firma perſuaſio, quæ noſtra eſt certitudo, cum ſanctificatione contexta conſertaque ſit, ut ne divelli quidem a ſe invicem poſſint? Sic enim ad Rom. 8. 29. *Quos prænovit, eos etiam prædeſtinavit, conformandos imagini filii ſui: ut is ſit primogenitus inter multos fratres. Quos vero prædeſtinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam juſtificavit, quos autem juſtificavit, eos etiam glorificavit.* Quænam vero eſt ſanctificatio, quæ hæret in luto ſecuritatis? præterea ſi *dona & vocatio Dei ſint*, ut Pau-

lus ſcribit, ἀμεταμέλητα, dona intelligo vocationis affinia, ut quæ ſemel dederit perpetua eſſe velit; quomodo ſanctificationis perpetuum ſtudium ſuffuſa ſecuritatis frigida reſtinguant? Liceat quæſo mihi παρέργως, quæ mihi iſta ſcribenti, illius Paulini loci ſententia viſa fuerit, aliter ac ab interpretibus accepimus, vobis enarrare, *Dona & vocatio Dei ſunt* ἀμεταμέλητα, vere explicant interpretes, quorum Deum penitere non poſſit, id eſt, non aliter factum velit Deus: ut illud apud Comicum, *haud muto factum*: ſed dum alteram ſententiæ partem omittunt, magnam ſuę cauſæ ſecurim iniiciunt. Nam mutat quædam dona ſua Deus, recedit ſpiritus bonus Jehovæ a Saule, etiam Saulem ipſum, ne rex floreret, abjecit Deus: & infinita exempla ſunt, quæ rebus in externis, tollere nonnunquam Deum dona ſua declarant; ut alia interpretationis ratio quærenda ſit. *Dona & vocatio Dei*; id eſt, dona vocationis, eo dicendi genere

quod

quod ἐν διὰ δυοῖν dicitur, ut 1. ad Rom. gratiam & Apoſtolatum. i. gratiam Apoſtolatus, ut apud Virgilium, *pateris libamus & auro*. i. aureis pateris. Hæc ego apud doctiſſimos ſemidoctus præcipitanter evolvo, haud oblitus tamen dicti Apoſtolici, *ſpiritus Prophetarum ſubjectos eſſe prophetis.* Ut igitur ad propoſitum nos ab hac excurſione revocemus, cum bona quæ vocationem neceſſario vel præcedant, vel conſequantur, non mutet Deus, quorum palmarium poſt fidem eſt ſanctificatio; ecquis tam erit ferrei oris, aut cordis ferrei, qui barriat, certitudinem ſalutis magiſtram eſſe inertiæ & ſocordiæ, quæ δὶς διὰ πασῶν a ſanctificatione, fidei filiola, diſtat.

Sed age minutius iſta concidamus, de *fide* primo videamus, hæccine ſecuritati locum concedit, *que corda purgat*, Actor. 15. 9. per *quam remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctificatos accipiamus.* Actor. 26. 18. quam Iohannes Apoſtolus celebrat *victoriam mundi.* 1. Iohan. 5. 4. Perſane

vero mirum est, ut cujus rei vel solus accessus incommoda omnia pelleret, illius frequens & perpetuus usus & ad extremum permansuræ explorata ratio, malorum equum Troianum (talis enim est securitas) in animas induceret. Sed forte *spes* infringi & debilitari possit. Non magis quam fides, *cujus sanguinem* eleganter apellat *spem* Clemens Alexandrinus. Audi Iohannem; *quisquis habet hanc spem in eo* (Deo) *purificat se, sicut & ille purus est.* 1. Iohan. 3. 5. Quam vero est solidum, ut quod certissime consecuturum te exploratum habeas, id ne eveniat dubitare? aut illius consequendi spem non alere & confirmare? *Charitas* una restat, quam sive activam, qua tu Deum, aut passivam, qua te Deus diligit, intelligas, eodem res relapsura est. Prodeat in medium Solomon, vel cupidine teste, amorum justissimus & æquissimus arbiter, & sanctorum, & lascivorum; sic ergo ille. *Fortis est ut mors amor, durus ut sepulchrum zelus, prunæ ejus prunæ sunt igniisque flammæ divinæ, aquæ multæ non possunt extinguere hunc amorem, ne flumina quidem inundarent eum.* & lege can-

cantica canticorum κανμυελίας ἔχη σβέννυσας ut dicit Chrysostomus. Quid ergo dicemus? flaccessere & languescere charitatem, illius non amittendæ certa ratione? profecto cum καλὸν ad se rapiat, quo frui delectat animum, est ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Non enim quod vere Plinius in hoc vulgari amore, *nihil est æque gratum adeptis & concupiscentibus*; de nostro hoc sancto fingi potest. Objectum est infinitæ pulchritudinis, quo saturari forte, satiari nunquam possimus, non Deo; non proximo, Dei causa. Quare non tam veritatem ex Ecclesia tollunt adversarij, quam ex humana vita omnem benevolentiæ & amicitiæ suavitatem.

Atque hæc sit copiarum primipilarium ordinatio τάξις, sed in hoc rustico & tumultuario bello, apta satis; subsidiariæ advolant, quarum cum vires pertentavero, receptui canam, meque in sacri silentij hybernis abdam. Fingamus ergo ad tempus certitudinem gratiæ

& ſecuritatem non eſſe ἀσύγχυτα, poſſe conjungi demus, anne tamen cohæreant unquam diſpiciamus. Ut enim remiſſis in gradibus, contraria quædam uni ſubjecto ineſſe fateamur, tamen hæc noſtra nolumus. Nam ut de fide una dicamus. *Si habeatis fidem quantulum eſt granum ſinapus, dicatis huic monti tranſgreditor hinc illuc, & demigrabit, & nihil impoſsibile vobis erit*, ait Salvator Matth 17. 20. de fide loquens ſalvandorum propria, ſed hyperbolice. Non enim cum reverendiſſimo Beza de fide miraculorum edendorum intelligo. Bene inquit Auguſtinus, *fidem dicit ſimilem* grano ſinapis, quanto minutiori, tanto ferventiori: quemadmodum enim cum Sol ſemel ortus fuerit noſtrumque orbem luſtrarit, quantæcunque & quam denſæ nubes oriantur, diem facit tamen, vimque luminis ſui his inferioribus communicat, licet nullus eſſe videatur: & ut infantes, inſani, dormientes, ebrij vix ſe ipſos vivere ſentiant, etiam melancholici quidam mortuos

ſe vi-

se vivi putent, cum tamen omnes & singulos vivere constet: sic fides nostra ἐνδυναμεῖ, non conspicitur. non apparet, occultis tamen ἀναφυσήσεις se ipsam nonnunquam prodit; ut toto impetu preces prohibet; ne alto securitatis somno tenearis impediet. Nam ut de nostro Jona dicamus, quem probe constat non nimis solicitum de voluntate Dei præstanda fuisse, eum tamen prima fere voce Dei excitatum intelligimus & præclaros fidei ac gratiæ fructus vel uno momento protulisse.

Huc accedit, quod fides hæc cui hanc immutabilem certitudinem inesse contendimus, Deum ipsum apprehendat, eumque verbo suo patefactum, sanctitatis nimirum amantem, otij torporisque acerrimum hostem, ac vindicem. Hunc suum Deum, cessatione & negligentia fidelis anima ut offendat non adducetur, si totum mundum posset lucrari. *Moses jam grandis renuit vocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul malis vexari cum populo Dei, quam temporariam*

retinere

retinere peccati fruitionem : idque *per fidem* teſte Spiritu ſancto, Heb. 11. 24. Nec Moſes modo, ſed & tota natio πληροφορημένων, qui cum probe intelligerent ſe gratiam in qua ſtabant non amiſſuros, ſic tamen ſe totos in ſanctitate colenda & tuenda poſuerunt, ac ſi ſingulis momentis, ne eam perderent vererentur. O quem te memorem Paule beatiſſime? certitudine propriæ ſalutis, aut ſtudio pietatis magis celebrem? Tu curris, tu pugilem agis, tu contundis corpus tuum, & in ſervitutem redigis, ne quo modo cum alijs prædicaris, ipſe rejectaneus fias. Si tu rejectaneus, quis probatus? Quidni tecum hoc unum agamus, ea quidem quæ à tergo ſunt obliviſcentes, ad ea vero quæ à fronte ſunt contendentes, ſcopum verſus feramur, ad præmium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu? Ecce etiam præclari Magiſtri diſcipulum ſimilem Timotheum, cui præceptor, *tu aſſecutus es doctrinam meam, vitæ meæ rationem, propoſitum, fidem, benignitatem,*

nitatem, *charitatem*, *tolerantiam*, *persequutiones*, *perpessiones*. Prægressæ erant de Timotheo prophetiæ, quæ falli non poterant; nec tamen ille cessavit, aut in officio claudicavit. Tu summam obsignabis, amæne psaltes Israelitarum, Deo David dilectissime, quem iniquissime vexant adversarij, fidemque prorsus amisisse disputant (quod totum contra est) de quo non est hujus loci, auditores, differere: nam ponimus hoc & est ut loquuntur, subjectum quæstionis. O ecquando tu securus vir desideriorum? Nutasti quidem, & dormitasti in negotio Uriæ, sed verbo expergefactus vigilasti. Quantum tuum extitit in verbum Dei studium? Quo zelo gloriæ incensus non conflagrasti? Ita in sanctos Dei, animi judicio propendisti, ut in ijs sit tota oblectatio tua: cucurristi viam mandatorum Dei: quis diligens, & tu securus? Sed instant, incertum fuisse de gratia amittenda, nam aliter futurum supinum & dissolutum. Itane vero plus apud te ut possit propriæ gratiæ certitudo ad

do ad carni indulgendum, quam mandati divini, deſideratiſſimi, etiam deſiderabilioris auro & auro purgatiſſimo, dulcioris melle, & quidem favo mellis, vox clariſſima? quam fides data Deo feudi, ut ita loquar perpetui, ad Deum ſerio perpetuoque colendum? Sed de iſto poſtea.

Interea vero operæ pretium erit, quam iſti abjecte homines ſentiant de ſanctis Dei fidei plena πληροφορίᾳ ornatis. Nam quod nec Epicurei faciunt, ut amicitiam proprio commodo metiantur, ſed ipſo officio & ſuavitate, id iſti neſcio quomodo, in piis hominibus fieri volunt. Quam eſt hoc enim publicano indignum, ut cum amorem tuum deficere non poſſe intelligas, non id operam dare, ut conſerves? Sic David Ionathanem dilexit, aut Davidem Ionathan, ut quia vererentur animorum ardores reſtingui poſſe, colerent & conſervarent tantum, non ipſo ſtudio mutui amoris? Sic amat uxorem maritus, ut

eam odisse posse aliquando judicet? Imo vero reveretur maritum uxor, quem scit non debere, etiam non posse ipsam non intimis sensibus, & toto corde complecti. Abi unde primum venisti tenebrarum incola, error; Non enim homines stultos facis, sed etiam insanos ad extremum. Nihil mea sententia fortius est, ad nos contento studio in omne genus καταρθωμάτων rapiendos quam quod nos gratos Deo, nostraque omnia illi jucunda esse nobis persuadeamus; & eo magis si hoc perpetuum & firmum fore perspectum sit. Nam ut Deum patrem benignissimum cogitare debemus, sic filios Dei ingenuos, & liberali ingenio præditos vere γνησίους non possumus vel per somnium non fingere. Quis vero filius frugi ad luxuriam patris sui abutitur lenitate? Nam Deus ipse, *si pater sum, ubi est honor meus?* Et Petrus Apostolus, *si patrem cognominatis eum &c. cum timore versamini commorationis vestræ tempore.* Sed rẽspondent, aut saltem possunt, *pater est, edisse*

non potest, vivamus ut volumus; væ hominibus ineptissimis, non modo non filij estis, sed ne servi quidem lautiores, non atrienses quidem, sed in tenebras exteriores ablegandi.

Sed præstat rem à capite arcessere, & fontes ipsos videre, unde ista manarunt, ut tandem defessos vos audiendo, hac molestia liberem. Ac πρῶτον quidem ψεῦδος hoc mihi videtur, quod non intelligant, aut saltem agnoscere nolunt, non posse propositum in peccato manendi, aut quamvis animi remissionem, cum certitudine gratiæ consistere: quod ita mihi clarum videtur, ac si Solis radijs scriptum esset, ut Tertulliani verbis utamur. Secundo fines absque medijs considerare videntur adversarij, quod valde sophisticum est. Nam ut Chrysippus olim Stoicus qui fatum ponebat, illos reprehendere solebat, qui isto modo argumentarentur, si fatum tibi est ex morbo convalescere; sive medicum adhibueris, sive non, convalesces,

leſces, confatalia quædam eſſe dixit, media nimirum: ſic quidem in hac cauſa intelligere debemus, certos quoſque eſſe eventus, ſed non ſine cauſis. Deus Ezechiæ annos quindecim ſe adjuncturum promiſit, ſed tamen palatham ficuum ulceri præſcripſit, nec non neceſſario cultu & victu eum uti voluit. Tertio gratia electorum propria donatos, ex natura corrupta judicant & metiuntur adverſarij, quod contra decuit. Hæc quidem Dialectica carnis eſt, permanebimus in peccatis, ut gratia auctior fiat; abſit, reſpondet gratia, quomodo hoc poſſumus? id eſt, contra debemus neque quidem valemus. Quarto incerti iſti (hoc enim nomine ad tempus, cum melius non occurrat, iſtis hominibus imponamus) in re maxime ſeria minimeque vulgari, arripere mihi videntur ex trivio & compitis, voces iſtas, *ſi electus ſim, quemcunque ſequar vivendi errorem, ſalvus ero: ſin minus, ſanctiſſimus ſim, nihil profecero.* Cur non a ſanctis hominibus, vereque pijs aliquid audire ſaltem velint?

lint? Quinto parum videntur animum defigere, hoc ut intelligant modo, ex doctrina necessaria eliciatur hæc incommoda securitas, an ex auditorum & vitio & culpa? Hoc si sit (quod sane verissimum est) desinant hanc veritatem arrodere, ni etiam alias velint. Sexto & ultimo totum hoc nostris peccatis deberi judico. Nam cum deberemus sanctissimam veritatem optima vita ornare, non autem faciamus. Deum credo nos tradere εἰς νοῦν ἀδόκιμον mentem judicij expertem, ut mendacio credamus, certitudinemque infallibilem (si sic loqui liceat) fidei medullam & quintam essentiam, nobis eripi patiamur. Vere enim & graviter Picus Mirandula, *veritatem Philosophia quærit, Theologia invenit, religio possidet*: in qua voce dictionem meam terminabo.

δόξα Θεῷ.

FINIS.